Tomus Nonus.

1. Angelus Victorius. de fractura costarum S. Philippi Nerii:

2. Constitutiones clericorum saecularium in communitate viventium:

3. Patronatos de los Marqueses de Cañete en toda la Religion de S. Francisco

4. Lettera sulla materia del Probabile

ANGELI VICTORII BALNEOREGIENSIS

Philoſophi, & Medici Romani

Medica diſputatio.

De Palpitatione Cordis, Fractura Coſtarum, Alijsq; affectionibus B. Philippi Nerij Congreg. Oratorij Romani fundatoris.

Qua oſtenditur prædictas affectiones fuiſſe ſupra naturam.

AD FEDERICVM BORROMAEVM CARDINALEM.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COL. S. BONAVENTVRAE

ROMAE *Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ*. 1613.

AVCTORITATE SVPERIORVM.

ILL.MO PRINCIPI
FEDERICO CARDINALI
BORROMAEO
Archiepiſcopo Mediolanenſi.

Angelus Victorius fœlicitatem.

SVperioribus annis, dùm Romæ eſſes, accuratã Amplitudini Tuæ pollicitus ſum diſputationem de cordis diuturna Palpitatione, deq; admirabili coſtarũ fractura B. Philippi Nerij Congregationis Oratorij Romani fundatoris. Eam equidem ex intimis facultatis noſtræ locis illo tempore deprompſi, expoſuiq; ſtylo, ac ratione ſcribendi Medicorum. Par enim erat, vt quæ olim ore, ac verbis profeſſus eram teſtis, ea quoque literis, & ſcripto confirmata, memoriæ traderem poſteritatis. Ceterùm cùm hoc opuſculum meum Typographorum Prælis committendum pararem, Tu vnus mihi ſemper occurrebas, cui illud iure optimo inſcriberetur. Videbam quippè te de B. Viri Sanctitate grauiſſimum teſtimonium religiosè dixiſſe. Sciebam te ita ſemper eum obſeruaſſe dum viueret, vt & continenter ab eius ore penderes,

& à latere numquam diſcedere poſſe videreris. Intelligebam denique te vnum potiſſimum eſſe, cui poſt eius obitum, propter diuturnam conſuetudinē ac familiaritatem, accidere deberet illius memoria, & recordatio iucundiſſima;

Accipies ergo (quæ tua eſt benignitas) opuſculū hoc meum, ſeu potius tuum perlibenter, non vt ab homine humillimo elaboratum, ſed quod per ſe præclarum illud ſit, eaq; contineat, quæ naturæ vim omnem, ac poteſtatem facilè ſuperent. Nullam itaque poſtulat ab Auctoris dignitate commendationem externā, ſed propter argumenti præſtantiam, digniſſimum eſt, quod à te benignè excipiatur, & aduerſus aliorum calumniam, quod pertinet ad induſtriam, & lucubrationem meam, quantum vel ratio requiret, vel neceſſitas feret, ſtudioſiſſimè foueatur. Quod ſupereſt Deū Opt. Max. precor, obteſtorq; vt te S. Caroli Borromæi Cardinalis, & veſtigijs inſiſtentem, & virtutes æmulantem, Eccleſiæ ſuæ diutiſſimè ſeruet incolumem. Vale.

Ad Angelum Victorium Phyſicum Excellentiſsimum de B. Philippo Nerio Scribentem.

Famianus Strada, Societatis Ieſu.

PEctore perfracto Nerium, coſtisq; tumentem
Qui medicè explorant, viuere poſſe negant.
At vixit, vitam morientibus & dedit vltro.
Sed non humana, credite, vixit ope.
Vixiſſe Angelicam fracto cum corpore vitam
Noſcere, qui poſſes, Angele, ſolus eras.

De eodem.

AVdiſtin? Nerio ſubinde coſtis
Crates infima pectoris reciſis
Creſcebat, daret vt foras auenti
Locum magnanimo micare Cordi.
Et tamen potuit diu valere,
Seu dies ageret iuuenta primos,
Seu Solis deciesq; centiesq;
Inclinata ſenecta computaret.
At vita hæc trepidante corde, longùm
Humana nequit arte ſuſtineri,
Vt voces veterum monent Sophorum.

Sed

Sed tu gloria temporum tuorum.
VICTORI decus, arbiterq; Cæli
Scribis ſidereo latus metallo
Firmari, mediasq. per medullas
Colliqueſcere cœlitus vigorem,
Cuius diuite defluente vena,
Perſtitit latus inſcium ruinæ,
Et pedem pede ſuſtinente, moli
Indulſit patientiam grauanti.
Quod potis Nerius fuit ruente.
Vita viuere, debuit Tonanti:
Quod reſcit facinus, colitq. Roma:
Hoc Tibi Nerius perenne debet.

Ad Angelum Victorium Balneoregienſem Medicum Clariſſimum.

Ioſephi Caſtalionis I. C. Romani.

E L E G I A.

QVam benè conueniat generoſis moribus iſtis
ANGELE VICTORI, nomen vtrumq; tuum,
Accipe. Cœleſtis legatus ab arce vocatur
Angelus: Angelici pectoris orſa refers.
Fit quoq. tranſpoſitis elementis indè Galenus,
Qui Medicæ nulli eſt laude ſecundus opis.
Ipſe quater denis morbos Epidaurius annis
Romulea innumeros alter ab Vrbe fugas.
Tranquillumq; ſonat latium vox Græca Galeni:
Obducunt frontem nubila nulla tuam.
Mira tui quis non animi colat acta ſereni,
Siuè domi acciderit degere, ſiuè foris?
Nec nomen gentile tuos minus indicat auſus.
VICTOR Appollineis artibus ipſe Clues.
Riuales ſatis haud fuerat ſuperaſſe: tuliſti
De domito affectu mira trophæa tuo.
Deq. cupidinibus proſtratis ritè triumphas.
Sub pedibusq. tuis ira, metuſq., iacent.
Ac tecum certas, teq; ipſum vincis, & effers
Te ſuper, affectans regna beata poli.
Eſtq. animus tibi ſublimis, qui temnit honores,
Temnit opes; vitæ dona perennis auet.
Te rerum cauſæ, te rerum non fugit auctor,
Naturaq. patent abdita quæq. tibi.

Cælitis

Cælitis effracta coſta admiranda Philippi,
Diſſeris, & retegis, quæ latuere alios.
Nam quamuis eadem plures teſtentur, & vno
Extollant veris laudibus ore Patrem.
Tu tamen auctorum è veterum penetralibus affers
Plurima, quæ doctos præteriere viros.
Vix ea naturæ princeps euoluere poſſet
Cous, ab æthereis quæ trahis ipſe plagis.
Tu reſeras ſecreta Dei, qui pectore fracto,
Affectoq; diu viuere corde dedit.
Longæuum Nerium ſcriptis illuſtribus edis,
Articuli quondam quod tetigere tui.
Quodq. oculis etiam hauſiſti, dum degeret inter
Mortales, mentem conſuleretq; tuam.
Præberetq. tibi explorandam pollice venam,
Et fidei ſeſe crederet ille tuæ.
Tu Diuina notans in corpore ſemina tanto
Rimaſti, & mandas, quæ placuere, libris.
Qui Nerij vitam ſcripſit Gallonius olim,
Quod fuit hiſtorici præſtitit officium.
Sed tibi quæ fuerant Medici tradenda reliquit.
Abſoluis cunctos Angele tu numeros.
Nam nouus è tenebris naturæ arcana Galenus
Promis, & ad Superos Angelus iſta refers.
Victor Io frontem Daphnæa cinge corona,
Debentur laudi laurea ſerta tuæ.

AD R.DOS ADMODVM

& Religioſiſsimos Viros, Congregationis Oratorij Presbyteros.

Angeli Victorij Balneoregienſis.

PRÆFATIO.

ET ſi ab earum rerum explicatione, quæ ad B. Philippi Nerij Patris veſtri, vitę partem quampiam pertinent, ſuperſedendum mihi eſſe putarem, ne Actum Agerem; cum in eiuſmodi munere obeundo eleganter, & copiosè, libris iam editis, ſe geſſerit vir apprimè doctus, & Religioſus Antonius Gallonius, Congregationis Oratorij Presbyter, & Frater veſter; Tamen & facultatis meæ ratio, & diuturna conſuetudo, intimaq. familiaritas, quæ mihi cum B. Patre interceſſit, & veſtræ ſignificatio voluntatis, me hortatur, & monet, vt eas corporis B. Philippi Paſſiones, Pectoris inquam tumorem, Cordis palpitationem, Fracturam coſtarum, & reliqua ſtylo proſequar, quibus ſupra naturam, ſine vllo vitæ, aut valetudinis detrimento, per multos annos fuit ſollicitatus. Nam de ijs differere, Medici officium eſt eius potiſſimum Medici, qui diutiſſimè hominem magna Sanctitate præditum tractauerit, curaueritq.; & eius corporis ſectioni non interfuerit ſolùm, ſed etiam præfuerit. Quorum vtrumq. Dei benignitate mihi contigiſſe lætor. Hanc

quidem partem Gallonius veſter, vt hiſtoriæ lex poſtulabat, ſtrictim attigit, ſed cauſas, ſigna, ſymptomata, & alia ad Medicum ſpectantia, neq. ille debebat, neque alius quiſpiam adhuc expoſuit. Quamobrem, vt veſtros nutus mihi præcepti loco eſſe intelligatis, de prædictis, quàm breuiſſimè fieri poterit, agens, docere conabor, vnde in plerisq. alijs hæc morborum genera proficiſcantur, quæuè appareant argumenta, & ſigna, quibus deprehendi poſſint, vt inde nihil tale fuiſſe in B. Philippo, ſed omnia ſupra naturam extitiſſe, euidenter ex horum inuicem collatione internoſci valeat. Quorum explicationem ſi vobis iucundam, & gratam eſſe intellexero, Tertium iam præſtantiſſimum munus mihi contigiſſe B. Philippi cauſa profitebor. Peto autem à vobis interea, ceteriſq. quorum hæc ſcripta in manus venerint, ne oſtentationi tribuatur, quod plenius ea tota de re diſſeruerim; Non enim meum fuit conſilium hoc in exiguo opuſculo Medicum agere, atq; ad alienam inſtitutionem de re Medica ſcribere, licet neceſſariò mihi faciendum fuerit, vt accuratius tractarem de ijs affectibus, qui in reliquis hominibus, & morbi ſunt, & dicuntur; Sed quo facilius, vt dixi, docerem, eos longè alios, & diuerſos eſſe ab ijs, quibus B. Philippus ſupernaturalibus laborauit. Velim etiam, vt ſiue Medici, ſiue alij pij, & deuoti viri fuerint, quibus hæc percurrere libuerit, ex ijs, quæ Deum effeciſſe in B. Patre cognouerint, ad maiorem pietatem, cultumq. excitentur. Valete.

DE PALPITATIONE CORDIS, ET ALIIS AFFECTIONIBVS B. PHILIPPI NERII.

Angeli Victorij diſputatio Medica.

Hiſtoria continens originem affectionum de quibus eſt agendum. Cap. I.

CVM de B. Philippi affectionibus diſputare aggredior, vt eas mirabiles, & ſupra naturam extitiſſe demonſtrem, fieri minimè poteſt, niſi prius, quando, & quomodo in eas inciderit, dum viueret, & quæ poſt eius obitum in illius corpore conſpecta fuerint, explicetur. Propterea eorum hiſtoriam præmittendam neceſſarium duximus, vt cæteri omnes rei veritatem ex ipſa percipiant, & Beati Viri ſanctitatem admirentur; Nos verò ad dicenda velut fundamentum præmittamus;

Ea igitur eſt huiuſmodi.

B. Philippus Nerius Florentinus, Congregationis Oratorij Romani Fundator, ab ineunte ætate bo-

ni habitus, & ſalubris; In ſenectute gracilis, non morboſus; in omni ætate circa victus rationem valde moderatus, vultu hilaris, ſermone iucundus, ac Sacræ doctrinæ ſtudijs valde aſſiduus, cum annum ageret ſuæ ætatis trigeſimum, & Chriſtianæ perfectionis deſiderio vehementer ageretur; ſuppliciter, ac frequenter Spiritum Sanctum inuocabat, vt ipſius animum ſuis donis cumulare dignaretur.

Eo igitur tempore, cum in oratione perſiſteret, atque eius preces à Deo vt exciperentur, exoraret; tam valido fuit, atque exuberante diuino amore ſuccenſus, vt id perpeti, ac ſuſtinere cum minimè ſe poſſe animaduerteret, ſtatim veluti aliquam ardori nimio quæritaret refrigerationis medelam, humi proſterni nudato pectore coactus fuerit: deinde illico ſubleuatus, exultans, extuberans quid in pectore circa ſiniſtrum latus, ad oui gallinacei magnitudinem, abſque aliquo ſenſu doloris perſenſit, oculis omnium intuentium ab eo tempore perſpicuum, non caſu, non percuſſione, non externa violentia factum.

Hinc frequenter, ſi memoria, ſi verbum, ſi contemplatio Diuinarum rerum occurrebat, feruere cor, exultare, atque palpitare, nunc intenſius, nunc remiſſius animaduerſum eſt, atque pectus interdum, totumq; corpus concuti, & incaleſcere. Vehementiam autem feruoris, & palpitationis compeſcebat, mentem voluntariè diſtrahendo, & animum ad terrena reuocando: Calorem verò, frigidiorem aerem interdum admittens, quandoque parum aquæ frigidæ aſſumens, leniebat, eaq; ratione, eoq; modo, vſque ad annum ſui obitus octuageſimum perſeuerauit.

Hæc

Hæc ſingula dum B. Senis affectionis cauſas ipſe frequenter percuntarer, prout opportuna, ſeu neceſſaria ſeſe offerebat occaſio; ab ipſomet Sene verecundè referente; dum aliquo morbo corripiebatur; ſæpius audiui; quæ eadem Federico Borromæo Cardinali exquirenti B. Pater narrauit; vt teſtatur Gallonius in illius vita, & ego ab eodem Cardinali audiui.

Poſtquàm verò placidè Vir ille Beatus; nulla ferè vexatus moleſtia; Animam Deo reddidit, octauò Kl. Iunij die Feſto Sanctiſſimi Corporis Christi, intra horam ſextam noctis; in ſequenti nocte, dum corpus inſpiciendi, ac prædictarum affectionum indagandi cauſa, multis viris * optimis præſentibus; ſectum fuit, ab ijs hæc nobiſcum fuerunt obſeruata.

Sectio Corpor[is] B. Philippi.

*Adſuerunt. * Germanicu[s] Fidelis, Franc[i]ſcus Zazzara Spinellus Becci[us] Ioſephus Zerla chirurgus, Ioa[nnes] BaptiſtaGuerr[a] Alexander A[...]minatus, Mar[...] Antonius Bell[...]*

Primùm in parte anteriore Thoracis, in qua illa extuberatio erat omnibus conſpicua, inſpiciebantur duæ coſtæ ex Mendoſis ſuperiores, quarta ſcilicet, & quinta, omnino fractæ, ac ita diuiſæ, vt pars à parte diſtaret, & quod mirum dictu eſt, nondum ex tanto temporis interuallo, vt fieri ſolet, aliquo modo vnitæ, ſed adeo diſtantes, & eleuatæ, vt extrinſecus dictam extuberationem conſtituerent, intrinſecus autem ſinum maiorem efficerent.

Summo deinde affecti deſiderio altiùs introſpiciendi, nam ex iam manifeſtis obſcura videre, & conſiderare licebat, venimus percupidè ad Cor ipſum, tamquàm ex illa inſueta fractura ſignatum: Quod maius ſolito inuenimus, eiusq; ſubſtantiam, denſitate, atque constrictione ſolito duriorem, & ſolidiorem. Pericardium ſeu capſulam cordis ſine aqua, * ſolet enim ibi naturaliter reperiri.

** Hippocrat[...] l. de Corde c[...]*

Ve-

omnibus Anathomicis.

Venam Arterialem duplo maiorem, & duriorem: Pulmones, à naturali ſtatu parum diſſimiles. Hæpar nihil erat immutatum. Reliqua inferius poſita, tum propter tanti viri honeſtatem, conſultò omiſimus, cum etiam nullum vnquam affectionis cuiuſpiam ſignum in ipſis fuit, ſicuti neque etiam in capite, quod ob eamdem cauſam integrum eſt relictum.

Hæc eſt hiſtoria fideliter à me conſcripta, atque hæc ſunt ea, quę fuerunt à nobis diligentiſſimè obſeruata, dum ſectum fuit corpus hora noctis tertia, in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Vallicella, vij. kl: Iunias M: D. XCV.

Quæ fuerint affectiones adnotatæ ex hiſtoria; & quid ſit agendum. Cap. II.

INter cetera, quæ conſideratione digna ex hac hiſtoria colliguntur, hæc præcipua mihi eſſe videntur. Cordis palpitatio dum B. Philippus viueret, per annos quinquaginta, ideſt ab anno ſuæ ætatis trigeſimo, vſque ad octuageſimum; facilè, ac frequenter recurrens; Et partis ſiniſtræ pectoris eleuatio.

Eodem autem Vita ſanctiſſimè functo, ex venerabilis eius corporis ſectione, animaduerſa eſt prędicta fractura coſtarum. Cordis magnitudo, & durities. Pericardium ſine aqua; & vena Arterialis duplo maior, & durior.

Propoſitio agendorum.

Ex quibus omnibus, quoniam morborum, & naturæ

turæ ordinem excedere videntur, occaſio nobis datur inueſtigandi, an præter naturam hæc in optimo Viro, tamquàm corporum mala, vel omnino ſupra naturam, & Diuino quodam munere ſint ſequuta.

Hęc autem ſolus is diſtinguere, internoſcereq; poterit, qui prius ſciuerit, qui nam affectus naturales, qui vè præter naturam appellandi ſint, & qui ſupranaturales, & Diuini. *Methodus.*

Sed ſcire etiam prius debet, quæ ad vniuerſam naturam Palpitationis, & Fracturæ Coſtarum pertinent, vt cum ijs conferri, & comparari valeant, quæ in B. Philippo iam adfuiſſe narrauimus.

Quod ad primum attinet; cēſet Hippocrates * omnes morbos ſimul eſſe diuinos, & humanos. Diuinos quidem quatenus cauſas diuinas habent, vt ſolem, ventos, & reliqua à Deo creata. Humanos verò, quatenus vnuſquiſque naturam, & vim in ſe ipſo habet, & propriam aliquam curationem. *l. de morbo ſacro. Morbi naturales, & Diuini.*

Si verò aliqui ſimpliciter Diuini futuri ſint: (Diuinum enim in morbis alio etiam modo, aliquando viſus eſt * agnoſcere), eos tantùm eſſe iudicat, qui neque cauſas habent, vt reliqui, neque curationem eamdem, neque naturam. Illi enim effectus re vera ſupranaturales, & Diuini ſunt, qui ab ea cauſa fiunt, quæ naturalis cauſæ vires, & facultatem excedunt, * vel quantum ad id quod facit, vel quantum ad ſubiectum in quo operatur, vel ſaltem quo ad ordinem, & faciendi modum. *l. progn. com. t. 4. ex D. Thom. parte q. 105. artic. 7. & 8.*

Quod ad alterum ſpectat, cauſas, & occaſiones, ſymptomata, & curationem palpitationis, & fracturæ coſtarum, prout ſcilicet in reliquis omnibus accidere

dere ſolent, inquirere oportet. Sic enim quæ corporum affectiones, dum hæc adfuerint, quomodo vè ſequantur innoteſcet. At ſi hi de quibus loquimur, Affectus, occaſionibus, cauſisq; careant, ac reliquis naturalibus, *aliquod diuinum ſubeſſe in his, & quomodo item appareat declarabimus.

Hipp. l. de morbo ſacro, & sign. cit.

Hæc autem fient comodius ſi ab ipſa palpitatione prius exordiamur; eſt enim cum ea, reliquorum ſuperius dictorum tanta ſeries, & connexio, vt hac cognita, facilius ſit cuique, etiam de alijs iudicare.

Quod primum debet haberi ſermo de illa palpitatione quæ à corde proficiſcitur. Cap. III.

SIT ergo primùm de palpitatione diſputatio, illud præmittentes, Palpitationem, qua aliæ aliquæ noſtræ corporis particulæ interdum corripiuntur, à Palpitatione cordis multum differre, cum clarè conſtet, illam eſſe ſolius morbi opus, ad eamq. edendam, * ſolum cauſam morbificam ſufficere.

Hanc autem, de qua nos loquuturi ſumus, nihil aliud eſſe, quàm motum ex *eodem met Corde profectum, ad quem efficiendum vnà cum cauſis lædentibus, ſemper neceſſariò * concurrit cordis facultas.

... 2. de cauſ. ... pth. cap. 1.

... 6. de placi- ... cap. 1.

... 1. de cauſ. ... cap. 1.

Neque tamen eſt eadem omnino cum naturali cordis motu palpitatio; nam quo tempore cor, vna cũ Arteria ſecundum naturam pulſare bis ſentitur, ſæpius inordinatè, ac præter naturam, & vehementius acceſſionis tempore agitari palpitatio percipitur:

Et ex hoc ille, qui motus naturalis eſt, * operatio dicitur: hæc quia præter naturam fit, affectio nominatur: ille, qui ſecundum naturam eſt, à cauſis, quæ vim habeant dumtaxat alterandi, ſed non lædendi, immutatur: hæc, quæ præter naturam eſt ab ijs, quę non ſolum alterandi, ſed lædendi quoq; vim habeāt, excitatur. Illi verò, * qui cordis palpitationem, tremorem appellarunt, perperam egiſſent, ſi propriè tremorem accepiſſent: nam diſtat ab ea tremor propriè acceptus, loco, cauſis, & * eſſentia, quæ breuitatis cauſā, & tanquam non præſentis ſpeculationis conſultò ommittimus.

Gal. 6. de placitis. 1. & 2. Meth. cap. 3.

Aetius ſerm. 8. cap. 58.

Auic. lib. 3. f. xi. tract. 2. cap. 1.

Raſis lib. 9.

Gal. l. de tremore cap. 4.

Illud tamen monendum ducimus, tamquam ijs, quæ ſumus dicturi, maximè opportunum; palpitationem cordis, voluntariæ virtutis motum non eſſe, neque * rationis imperio ſubditum; neq; enim cor ad quempiam motum edendum indiget * ipſius animalis voluntate. Arteriæ enim motum, & cordis, neq; cohibere, neq; excitare, neq; crebriorem, neq, rariorem, neq; tardiorem, neq; velociorem * voluntas efficere poteſt. Idcirco ne animę quidem hæc, ſed eſſe naturæ opera fatentur.

D. Tho. p. 2. q. 17. art. 9. arg. 2.

Gal. 1. de motu muſc. cap. 3.

Gal. 2. de motu muſc. cap. 5.

Si verò citrà controuerſiam admitti poſſet, cor ea palpitatione laborare, qua reliquæ partes dilatabiles afficiuntur, multo minus dicendum eſſet, palpitationis motum eſſe voluntarium; nam eſt hæc neq, * voluntariæ virtutis propria, neq; inſtrumentorum ad hanc ſpectantium affectio. Eſt igitur cor huic palpitationi, de qua loquimur, ſubiectum ex eo magis, quoniam facultatem habet ſemper mouentem, & quæ facilè ab * alterātibus, & ledentibus immutatur, quam ob id quòd cauitates, & meatus, cęteris noſtri corporis partibus comodiores habeat; quam-

Gal. 2. de ſympt. cauſ. cap. 2.

Gal. de cauſ. pulſ.

Hipp. de morb. ſacr.

uis & eaſdem, vt cauſas, ſine quibus effectus non producerentur, concurrere ad cordis palpitationem non ſit denegandum.

Cordis Palpitatio quid ſit, & à quibus fiat. Cap. IV.

Quid ſit palpitatio cordis.

EX dictis igitur elici poteſt, palpitationem cordis eſſe motum præter naturam, eiuſdem vehementiſſimum, & moleſtum, elationis, & depreſſionis, à cauſis ſubitò, & validè lædentibus, non impellente voluntate. Fit autem palpitatio à * principe facultate vitali; & à quibuſdam cum celeritate replentibus ſubſtantijs, quas neceſſe eſt aereas,* halituoſaſq; eſſe, nõ tamen exiguas, non tenues, quia ſic facilè conſumerentur, transfluerentq; antequàm huiuſcemodi morbum crearent; Fit quoque ab alijs cauſis cor validè, ac ſubitò lædenti-bus, quas mox ex arte ſingulas referemus.

Gal. 6. de placit. cap. 1.
Gal. l. de palpit. cap. 5. 2. de cauſ. ſympth. cap. 2. De humor. com. 2 t. 33.
Auic. lib. 3. ibid.

De cauſis naturalibus Palpitationis Cordis. Cap. V.

PRoximæ autem cauſæ, à quibus palpitatio excitari ſolet, ſunt affectus proprij cordis, ſeu validæ, ac ſubitò factę mutationes: Remotę verò totius, aut cuiuſpiam partis ſunt affectus, quorũ occaſione, cor per conſenſum lædatur, afficiaturq; aut aliæ quælibet, quæ quouis modo prima-

primarios affectus, vel in corde mutationes excitare valeant.

Affectus autem proprij cordis, quos huiuſmodi ſympthoma conſequitur, ſunt * inæqualis intemperies ſuccorum ipſius met cordis, ſanguinis in eo * concepti copia, aut feruor. Huic proximè accedit * vitalis facultatis incendium; Adde inflamationem, * ſiue per ſe accidat, ſiue vulneri ſuperueniat.

Gal. 2. de præſa pul. cap. 4.
Paulus l. 3. c. 3.
Gal. 4. aph. 65
Auic. lib. 3. f. x

Afficitur per conſenſum ex humore * aqueo, & copioſo contento in pericardio. Affirmant ferè omnes (quod ex Galeno * accepiſſe putant, referente pericardij affectus, non cauſas palpitationis) idem euenire ex eiuſdem pericardij tuberculis ſcirrhoſis, vel aqueis, quæ ſua mole cor premere, & affligere valeant. Fouetur quoque eiuſcemodi affectus ex totius corporis plenitudine; excitatur ex aliarum partium paſſionibus, ex * vaporibus inquam flatuoſis, qui ad cor ab aliquo viſcere, cęteriſq; corporis partibus malè diſpoſitis proficiſcuntur, ac per arterias, aut quauis alia via, & modo ad ipſum cor importantur. Extrinſecus irritatur hoc malum à crapula, balneis, aeſtu, ira, motu immodico, & valido, atq; vini vſu meracioris, & conſimilibus. Verùm ne lateat, quæ huic affectui ſubiecta eſſe ſoleant corpora, dicamus non minus quæ calido, * quàm frigido temperamento præcipuè conſtant, ipſa palpitatione ſollicitari, cui tamen illos maximè ſubijci profitentur * aliqui, quibus cordis ſenſus eſt acrior, & magis exquiſitus. Hactenus de cauſis palpitationis, quę ab auctoribus aſſignatę fuerũt, quibus ex natura rei nullam aliam naturaliter addi poſſe Medici omnes optimè ſciunt.

Gal. 5. de loc. af cap. 2.
Gal. ibidem.
Gal. de palpit. c 2. de ſympt. cau cap. 2. et 2. de humor. 3
Auic. l. 3. cit.
ex Gal. 5. de lo aff. cap. 2.
Auic. lib. cit.

Quod nulla ex cauſis naturalibus reperta fuerit in B. Philippi palpitatione.
Cap. VI.

CVm ergo ex prędictis cauſis, & occaſionibus ex arte pleniſſimè enumeratis, palpitatio cordis ortum ducat, & varios homines plus, minuſuè occupare ſoleat, rationi nunc conſentaneum videtur (ne relinquatur dubitationi locus) diligenter oſtendere, nullam penitus ex ipſis, in via naturali, præter naturam tamen; quemadmodum omnes alios ſolet afficere, B. Virum inuaſiſſe. Propterea oppottunum eſſe duxi, ſingula examinare, vt ex ijs, de eo, quod inquiritur, veritas eliciatur; ijs, quæ ſatis euidentia ſunt, parum inſiſtendo; quæ verò maiorem difficultatem habere videntur, exactius perpendendo; & ſi omnium ſingulatim ſucceſſum

lib. de Arte.

non aſſequamur, vim * ipſam talium affectionum (ex Hippocratis ſententia) accuſare oportet, non ipſam artem. In hoc ergo placeat à nobis expectare ea tantùm (vt ipſe docet) quæ ars Medica profitetur, & non ea, ad quæ apta nunquam fuit.

1. Palpitationem B. Philippi non prouenisse ex cordis inflãmatione.

Quod igitur ex cordis inflammatione, aut per ſe eueniente, aut quæ vulneri ipſius cordis ſuccedat, originem non duceret B. Philippi palpitatio, adeò notum eſt, vt nulla egeat probatione; quandoquidem huiuſcemodi affectus, ſæpius non reuertuntur, ſed ſimul cum ipſa palpitatione, quam afferunt, ineuitabilem mortem abſq; dubio, eamq; citiſſimè inferunt; Sed nulla vnquam leuis ſuſpicio adfuit, aut inflam-

mationis,

mationis, aut conſimilis affectionis: quare neq; ex his palpitatio in B. Viro oriri potuit, cum multùm (vt ſuperius declarauimus) ſuperuixerit.

Neq; eam afferre potuit inæqualis ſuccorum cordis intemperies: quoniam hæc dum accedit, leuem palpitationem gignere valet; oritur enim inæqualitas ex pugna qualitatum oppoſitarum, quarum altera alteram retundit: quo fit, vt nullus exceſſus adſit, nullius victoria, & in alteram dominium; neque vllus validus effectus ſubſit; quare nemini mirum videatur, ſi quæ fit palpitatio, dum huiuſmodi pugna perſeuerat, valida eſſe non poſſit. At B. Philippi affectus adeò validus fuit, vt non ſolum pectus, & brachia, verùm etiam totum corpus aliquando excuteret: quamobrem ex huiuſmodi inęquali ſuccorum cordis intemperie, palpitationem in eo prouenisſe minimè affirmandum cenſeo. *2. Non ex succorum cordis inæquali intēperie.*

Si verò exuberantiam ſanguinis conſideremus in ipſius corde, an potuerit id efficere; Animaduertamus oportet, vt ab initio diximus, optimum ſenem, omni tempore ſobrium, copioſiorem adeò ſanguinem, vt eo cor nimis abundaret, ad huius effectus generationem, producere nequaquàm potuiſſe. Quod etiam confirmatur magis; quandoquidem in eius morbis aliquam ſanguinis miſſionem requirentibus, aut nulla, aut minima fuit omni ætate vſus. Nunquam verò, vel tenui, vel modico victu, quo ſemper vtebatur, aut curata, aut ſaltem aliquo modo mitior, ac leuior reddita eſt palpitatio, vt omnibus, qui huiuſmodi victu vſi ſunt, eueniſſe teſtantur* Medici clariſſimi: quare ex alia quapiam cauſa, quam ex copia ſanguinis, affectum hunc proueniſſe fatendum eſt. *3. Non ex copia sanguinis cordis.* *Gal. 5. de loc. a. cap. 2.*

Neque

. Non ex aqua in Pericardio.

Neque ex copioſo humore, qui in pericardio,ſeu cordis capſula contineri ſolet, dubitari licet accidiſſe: nam huiuſmodi affectui obnoxij,timidi, ac triſtes ſunt, ſuffocari aliquando timentes. Hic autem hilaris ſemper fuit,dum vixit, neq; illo tenui victu,quo ſemper vtebatur, fuit adiutus, vt par * erat, ſi hac etiam cauſa affectus prouenißet; ſed certiores eius corporis ſectio nos reddidit: Nullus enim in eius pericardio humor adfuit, vt in hiſtoria fideliter relatum eſt, & ab omnibus, qui ſectioni interfuerunt, perſpectum fuit.

Gal. ibidem.

. Non ex Tuberculo alicuius partis cordis vicinæ

At quod aliquod tuberculum partibus inſpirationi inſeruientibus, aut pericardio infixum, huiuſmodi malum poſſet inferre, vnuſquiſq; ſibi facilè ſuaſiſſet, quoniam ex tactu,ex viſu, ac poſitu extuberatio ad oui gallinacei magnitudinem in parte, ſub qua palpitatio ſentiebatur, apparebat. Nullum tamen vnquam fuiſſe tuberculum ſimiliter ex loci ſectione nouimus: ſolummodò aderat prædicta coſtarum diuiſio, de qua ſupra notatum eſt, & inferius proprio loco commodius, & quoad res ipſa patitur, fuſius dicetur.

. Non ex eleuatione pectoris, aut fractura coſtarũ.

Minimè verò aſſerendum venit ex tali fractura coſtarum, aut extuberatione palpitationem excitatam; quoniam ea internam thoracis partem, ſiue eiuſdem cauitatem non reddebant anguſtiorem, ſed ad omnia cõmodiorem, quia ampliorem locum effecerunt: Nam extuberatio erat externa; partes coſtarum inuicem diſtantes, ac verſus externam cutim eleuatæ.

. Non per cõſenſum à toto vel à parte.

Alienæ ſunt quoquè cauſæ, quibus per conſenſum à toto, ſiue aliqua viſcerum occaſione, aut eorundem ſenſibili intemperie, alioue affectu palpitatio

tio excitari, vel foueri potuit: nam ex his affectarum partium operationes paululum ſaltem fuiſſent immutatæ, caloruè, aut febris, aut cuiuſpiam partis dolor, aut alia affectio, familiaribus, & domeſticis, ſi nõ nobis, qui ſenis optimi per multos annos curæ interfuimus, dum ſæuiret palpitatio, leuem aliquam ſui ſignificationem præbuiſſent: Quinimo febres interdum, ac alij affectus B. Virum corripiebant, à quibus omnino curabatur, abſq; eo, quod vel palpitatio maior, vel frequentior ſe demonſtraret: Ex quo euidentiſſimum ſignum deſumere licet, quod neque corporis partes conſenſum præſtabant, neque ex toto prouęniebat affectus.

8. *Neq; à vaporibus craſſis.*

Ex quibus firmum teſtimonium ſumitur, neq; ex craſſis, nebuloſiſq; vaporibus in alijs palpitationem inducentibus, vel irritantibus, in B. Viro fuiſſe excitatam; cùm nullus appareret locus, aut pars corporis, in qua huiuſmodi vapores gigni valerent; quod ipſius prædicta ratio victus confirmat, qua tandem praui omnes prædicti vapores fuiſſent conſumpti, ac etiam eorum viſcerum intemperies ſublata, quæ ipſorum generationis cauſa extitiſſet.

9. *Neq; ex victu pleniori.*

Ob eandem ſanè rationem, neque in crapulam, viniuè immoderatum vſum, aut cauſam conſimilem, referenda culpa eſt; cum ſæpè repetitum ſit, eum, dum vixit, inedias, ac varios labores ſuſtinuiſſe, quæ non repletionem, vel conſequentia pariunt, ſed potius his aduerſa.

10. *Neq; ex motu cordis vel animi.*

Prædictis verò contraria, vt labor, exercitatio validior, & animi affectus, quæ hominem frequenter exercebant, eſto, quod palpitationem inducere potuiſſent, ſi ſæpius ex his frequenter adeò, vt ſolebat, affectus recurriſſet; certe ob ſpirituum reſolutionem,

tionem, ac diſſipationem; vel ſympthoma ipſum,
palpitatio inquam, vel ſubiectum ſubſiſtere, ac na-
turaliter perdurare erat impoſſibile; adeò vt, vel hæc
difficulter hoc malum efficere potuiſſent, vel ſi effe-
ciſſent, aut illicò euaneſcere, aut affectum diutius nō
commorari, neceſſum fuiſſet. At B. Virum per con-
tinuos quinquaginta annos iam in hiſtoria rela-
tum eſt à palpitatione nunquam fuiſſe immunem.

. Neq; ex ſen- acri cordis.

Neque admodum difficile erit declarare B. Viri
palpitationem ab acriori cordis ſenſu minimè ori-
ginem ducere; quandoquidem ſenſus cordis exqui-
ſitus non eſt efficiens cauſa cuiuſpiam affectus; nam
ad ſubiectum hoc ſpectat, ſiue ad affectam partem,
non ad cauſam efficientem, ſeu irritantem; ſi enim
acrior huiuſmodi cordis ſenſus ſolus eſſet ſatis, ad
hoc, vt malum valeret excitare, procul dubio an-
te trigeſimum annum orta eſſet palpitatio; quoniam
ſicut ſenſus à prima origine ineſt, ita quoque, & alia
inſunt, quæ ex ipſo conſequuntur, quamobrem, &
ſimul cum eo eſſet orta palpitatio.

2. Non ex fer- ore ſanguinis ordis.

An verò ex feruore ſanguinis in corde contenti,
aut vitalis facultatis incendio potuerit in eo cordis
palpitatio ſuboriri, adhuc ſupereſt perpendendum,
cùm præcipuè id maximè veriſimile appareat; nam
æſtuabat ſæpè totus, atq. adeò validè, vt media hye-
me iam ſenex octuagenarius refrigerium captare,
& diuerſimodè perquirere cogeretur. Quod confir-
mat & illud in hiſtoria relatum, cum dicitur, cor
illi duriſſimum repertum, & Pericardium aqua va-
cuum; quæ aliundè, quàm ex feruore, & ſummo
incendio proueniſſe, non videtur veriſimile.

Sed quamuis hæc magis probabilia reliquis vi-
deantur; ex iiſdem tamen oſtendam, naturaliter B.
Philippi

Philippi palpitationem oriri non potuiſſe. Cum enim palpitatio naturaliter fieri ſoleat ex sãguinis feruore in corde concepti, impoſſibile eſt, vt diu perſeueret, niſi ex totius corporis plenitudine foueatur, ex qua ſubminiſtretur cordi materia, ac ſuccus ſufficiens, in quo feruor excitetur, hæc enim eſt, quæ feruorem fouet, & ſuccreſcere facit; Sed Beati palpitatio per annos L. perſeuerauit, abſq; totius corporis plenitudine: quæ enim plenitudo in ſene octuagenario, in corpore adeò gracili, in ratione victus adeò tenui reperiri potuit? Immo omnes non ignorant, quod ea, quæ ex totius corporis plenitudine palpitatio fouetur, quodam anni ſtatuto tempore, videlicet in vere * tantùm moleſtiam afferre maiorem, & reliquis quieſcere, vel ſaltem miteſcerere ſolet; ſed hoc in ipſo non cõtingebat; quinimo & quouis anni tempore, & quouis die recurrebat; ac ſæpius maximè augebatur: quare non ex ſanguinis cordis feruore oriri eam potuiſſe vnicuiq. manifeſtum apparet. *Gal. 5. de loc. att cap. 2.*

Quando verò ex naturali vitalis facultatis incendio palpitatio aſſolet contingere, incendium vel perſeuerat, vel deſinit; ſi deſinit iam ceſſat neceſſariò & palpitatio: ſed iſte Beatus, & prius, & cùm ad octuageſimum annum peruenerat, adhuc autem, immo magis, & feruore, & palpitatione ſolicitabatur: non ergo ex naturali oriebatur incendio, quòd citò deſinit ipſius palpitatio. Si verò incendium longo tempore duret, vel in tabem (vt ſæpe ſolet accedere) vel in mortem potius deſinere ipſum neceſſe eſt; abſumitur enim ab huiuſmodi incendio humiditas naturalis, ſucceditq. neceſſariò ſiccitas, & interitus. At B. Philippus nunquam tabidus apparuit, vixit gracilis, & diu ſalubris, quamobrem aut *13. Non ex incendio facultatis vitalis.*

non ex incendio huiuſmodi affectus oriebatur, aut alterius naturæ incendium erat ab eo, quo cęteri homines corripi iudicantur.

Ad hæc etiam addere poſſumus, ex incendio motum * palpitationis ſimilem oriri potius, quàm ipſam palpitationem, ſeu quandam (vt cenſeo) palpitationem leuiorem; Habet enim huiuſmodi incendium vim abſumendi magis, quàm ſuccos exagitandi, & languet ex eo adeò facultas, vt robur ad validum motum edendum nequeat habere. Sed illius ſenis palpitatio ſæpè ſe validiſſima demonſtrabat; quia totius corporis motus conſequebatur. Quamobrem alterius naturæ feruor, ac incendium, & etiam ab ea, quæ naturaliter reliquos homines inuadere ſolet, alterius naturæ palpitatio dicenda eſt.

Gal. 4. aph. 65.

Quod ſymptomata Palpitationis B. Philippi fuerunt diuerſa à naturalibus. Cap. VII.

COnſtat igitur huc vſq; ſatis abundè nullam in B. Philippi palpitatione cauſam extitiſſe naturalem: ſed nunc reliquum eſt videre, an eamdem naturam habuerit, quã reliquæ omnes, quod ex ſymptomatibus intelligemus, ab alijs inſeparabilibus, quæ tamen in hac, de qua loquimur, non adfuerunt, id enim vnuſquiſque ſuadere ſibi poteſt, ac debet, quod cordis palpitationem in via naturæ concomitare ſolet ſenſatio triſtis, timor, vel quoddam ſymptomatis genus perſimile, refrigeratis * partibus ſuperioribus, & calido compulſo; & contracto in anguſtum;

Ariſt. lib. de vit. & mort. cap 15.

Hæc

Hęc autem in eo nunquam viſa ſunt, quinimo (mirabile dictu) ſicut ijs, qui talia patiuntur, moleſta eſſe ſolet, futuræ acceſſionis recordatio, in benedicto ſene ſemper adſtitit eius memoria iucunda; quod ipſe demonſtrabat, nam cum intentius palpitatio ſæuiret, maius illi afferebat gaudium, itaut potius nimia lętitia, quàm moleſtia aliqua, vel triſti ſenſatione, timoreve, exolui interdum videretur. Ex quo fiebat, vt cùm ſe plenum, ac affluentem diuino ſpiritu magis, quàm ferre poſſet, animaduerteret, voluntariè à diuinis deſiſtere, & ad humana ſe conuertere ſoleret. His accedit, neminem cordis palpitatione * correptum, ex quacumq. cauſa oriatur, adhuc repertum eſſe, qui ad ſenectutem peruenerit, & quidem meritò, nam & ſymptoma eſt maximum, & pars affecta, quatenus ad vitã ſaltem ſpectat, maximè princeps reperitur, & ſenex * (vt Hippocrates affirmauit, & experientia, ſenſuſq. patet) vigorem fortem non habet, ſed carnes eius circa oſſa diffluũt, & cutis circa carnes, ipſiuſq; caro rara eſt, & debilis, & neque quid tale pati poteſt ſimiliter ſenior, veluti iunior: At ſenex benedictus non ſolum ad ſenium vitam, ſed ad decrepitam, vſq. ad annũ ſcilicet octuageſimum, cum integris ſenſibus, cum palpitatione frequentiſſima, & validiſſima produxit. Ex quo licet affirmare, ipſius palpitationem, ab omni alia penitus differre, & longiſſimè diſtare, quod profectò ex hac perſpecta demonſtratione, (quam mox audies) ita confirmatur, vt non amplius ſit hæſitationi locus.

1. Palpitatio ſine triſtitia.

Gal. 5. de loc. aff. cap. 2.

lib. 1. de Morbis.

2. Palpitatio diuturna.

B. Philippi palpitatio erat voluntaria, ergo non erat, vt aliorum hominum, vel naturalis, vel præter naturam, ſed ſupra naturam. Quod probatur; nam, vt ſupra diximus, vel palpitationem aſſeris eſſe pul-

3. Palpitatio voluntaria.

ſum cordis maximè deprauatum, vel eiuſdem motum, quo aliæ particulæ, dilatabiles afficiuntur. Si hoc dicis, iam ſuperius audiſti, paſſionem hanc, neq; voluntariæ * virtutis eſſe propriã, neq; inſtrumentorum ad hanc ſpectantium. Si verò admittis, vt debes, palpitationem cordis eſſe ipſius motum deprauatum (neq. enim opportunum eſt nunc perſcrutari, an vterq. ſimul adſit, quoniam & idem ſimul iunctorum eſt iudicium) conſequens eſt hunc nullo pacto voluntarium eſſe, cum nullus cordis motus, ſiue ſecundum naturam, ſiue præter naturam eueniat, ſit voluntarius, vt diximus, cordis motum neque cohibere, neq. * excitare, neq. crebriorem, neq. rariorem, neq. tardiorem, neq. velociorem efficere, aut quo vis alio modo, reliqui homines eorum voluntate immutare poſſunt. At B. Philippus ad libitum palpitationem compeſcebat, quàm motum cordis deprauatum eſſe iam conſtat. Ergo ipſius palpitatio erat voluntaria, eaq. non vt reliquæ, naturalis, vel præter naturam, nihil enim refert, quid nam harum nunc dixeris. Ergo relinquitur, quod eſſet ſupra naturam.

Gal. 2. de cauſ. ſympt. 2.

Gal. 1. de motu muſc. cap. 3. & . de anath. ad- miniſtr. cap. 8. & . de motu muſc. cap. 5.

Quod palpitatio B. Philippi neque fuerit naturalis reſpectu curationis. Cap. VIII.

Reliquum eſt ex tertio capite ab Hippocrate à principio aſſignato probare palpitationem cordis B. Philippi non fuiſſe naturalem, quoniam ſcilicet, naturali caruit curatione. Naturalibus auxilijs, ac remedijs, curari

certè

certè ſolent naturales affectiones, dum curatione indigent; ſed naturalibus auxilijs, quibus Medici vti ſolent, non fuit benedictus ſenex adiutus, neq. talibus eius affectio curabatur, ſed cogitationibus, & diuerſionibus, vt demonſtratum eſt, voluntarijs: Quod auxilium, tanquam in arte Medica, in huiuſmodi re ſummoperè contrarium, nunquam in ipſa arte auditum, nunquam amplius animaduerſum; ſed ita verè diuinum, vt fateri nos cogat id, quod in morbis diuinum eſt, diuinam opem deſiderare.

Concluſ. & epigus dictorum

Concludamus igitur neceſſe eſt, hanc palpitationem B. Philippi, quoniam caruit naturali curatione, nullamq. cauſam habuit naturalem, fuitq. voluntaria, ac ſine vlla triſti ſenſatione tamdiu facilè perſeuerauit, & Medico artifici ſenſato, cuius facultas non eſt vltra corporea, atq. ſenſibilia, cauſas naturales inuenire non licuit, omnino arduam, & ſupra naturam extitiſſe. Quod etſi per ea, quæ dicta ſunt, ſatis ſuperq. probatum ſit, quantum ad Medicum pertinere videtur: magis adhuc infra, etſi Medicum excedat negotium, manifeſtare tentabimus, quando ſupernaturalem cauſam inquiremus & ipſius palpitationis, & reliquorum B. Philippi affectuum.

Nunc in animo eſt, de inſueta eiuſdem coſtarum fractura, verba facere, vt deinde facilius, & commodius (quatenus tamen vires noſtræ ferunt, & huiuſce rei natura patitur) omnium ſimul cauſam aſſignare valeamus.

DE FRACTVRA COSTARVM B. PHILIPPI NERII

Ab Angelo Victorio diſputatio edita.

Quid ſit prius agendum, quid inquirendum, & ratio agendorum. Cap. I.

DE fractura coſtarum B. Philippi diſputationem inſtituentes, eadem perquirenda ſunt, quæ de palpitatione inquirebamus. An ſcilicet cauſas, curationem, & ſympthomata, ſeu naturam habuerit, vt in reliquis hominibus eſſe ſolet. Cum enim reperiantur & alij, quibus coſtæ fractæ fuerint, propterea videtur oriri non vulgaris difficultas, an hæc fractura de qua loquimur in B. Philippo habeat aliquam cum illis cõmunionem, & ſit præter naturam, an ſit omnino differens, & ſupra naturã, quod eſt diligenter perquirendum. Prius tamen neceſſariò explicandum eſt, quomodo in via natu-

naturali fieri poſſit diſruptio, & fractura coſtarum præter naturam. Pro cuius maiori intelligentia, neceſſe eſt præmittamus etiam quæ, & quot ſint Coſtæ in homine, quibus alligentur, & quæ rumpi, frangiq. valeant, cum non omnes ad fracturam omni ex parte deſtinentur. Ita enim ſpecialiter, & cõmodius hæc, de qua loquimur comprehendetur. His addemus, clarioris notæ gratia, à quibus cauſis frangi coſtæ ſoleant, quæ ſubſequantur, quomodo, & quot diebus naturaliter conſolidentur.

Coſtæ igitur, vt ex Anathome demonſtratur in homine, vt plurimum, vtrinq; ſunt duodecim, à quo numero ſi aliquando accidat variare, tredecim ſæpius, quàm vndecim ſeſe offerunt; ſeptem ſuperiores, quæ vertebris, & pectoris oſſi articulantur, & connectuntur, atq. iſtæ oſſeæ ſunt, & oſſeæ vocantur. Aliæ quinq. humiliores, quæ ſpuriæ, vel mendoſæ dicuntur, quia ſolis vertebris compinguntur, & cum vſq. ad os pectoris non pertingant, non oſſeæ, ſed cartilagineæ, in cartilaginem degenerantes, nominantur. Sciendum quoq. eſt, quod quicquid coſtis interceptum, circumſcriptumq. venit, thorax dicitur; Anterior verò thoracis pars pectus eſt, cuius latitudo, vbi coſtæ iunguntur, os pectoris nuncupatur, cuius ſuprema pars incipit à clauiculis, & infima in ſeptum tranſuerſum deſinit.

1. Quot ſint Co[...] Veſſal. lib. 1. c[...] 17. Columbus [...] cap. 19.

2. Quibus Coſ[...] iungantur.

Ex ipſis verò coſtis, ſeptem illæ ſuperiores quãplurimis hominibus abrumpuntur, quia oſſeæ ſunt, quod illis accidere ſolet non in poſteriori parte ſolùm thoracis, ſed etiam in anteriori. At inferiores coſtæ, nempe quinq. illæ, quas cartilagineas vocant, & mendoſas, quia molles ſunt, & in anteriori parte cartilagineæ, idcirco in ea rumpi nequeunt:

3. Quæ Coſ[...] frangi valean[...]

Duo-

Quod nulla ex cauſis naturalibus reperta fuerit in B. Philippi palpitatione. Cap. VI.

CVm ergo ex prędictis cauſis, & occaſionibus ex arte pleniſſimè enumeratis, palpitatio cordis ortum ducat, & varios homines plus, minuſuè occupare ſoleat, rationi nunc conſentaneum videtur (ne relinquatur dubitationi locus) diligenter oſtendere, nullam penitus ex ipſis, in via naturali, præter naturam tamen, quemadmodum omnes alios ſolet afficere, B. Virum inuaſiſſe. Propterea opportunum eſſe duxi, ſingula examinare, vt ex ijs, de eo, quod inquiritur, veritas eliciatur; ijs, quæ ſatis euidentia ſunt, parum inſiſtendo; quæ verò maiorem difficultatem habere videntur, exactius perpendendo; & ſi omnium ſingulatim ſucceſſum non aſſequamur, vim * ipſam talium affectionum (ex Hippocratis ſententia) accuſare oportet, non ipſam artem. In hoc ergo placeat à nobis expectare ea tantùm (vt ipſe docet) quæ ars Medica profitetur, & non ea, ad quæ apta nunquam fuit.

lib. de Arte.

1. Palpitationem B. Philippi non prouenisse ex cordis inflāmatione.

Quod igitur ex cordis inflammatione, aut per ſe eueniente, aut quæ vulneri ipſius cordis ſuccedat, originem non duceret B. Philippi palpitatio, adeò notum eſt, vt nulla egeat probatione; quandoquidem huiuſcemodi affectus, ſæpius non reuertuntur, ſed ſimul cum ipſa palpitatione, quam afferunt, ineuitabilem mortem abſq; dubio, eamq; citiſſimè inferunt; Sed nulla vnquam leuis ſuſpicio adfuit, aut inflam-

mationis,

mationis, aut conſimilis affectionis: quare neq; ex his palpitatio in B. Viro oriri potuit, cum multùm (vt ſuperius declarauimus) ſuperuixerit.

Neq; eam afferre potuit inæqualis ſuccorum cordis intemperies: quoniam hæc dum accedit, leuem palpitationem gignere valet; oritur enim inæqualitas ex pugna qualitatum oppoſitarum, quarum altera alteram retundit: quo fit, vt nullus exceſſus adſit, nullius victoria, & in alteram dominium; neque vllus validus effectus ſubſit; quare nemini mirum videatur, ſi quæ ſit palpitatio, dum huiuſmodi pugna perſeuerat, valida eſſe non poſſit. At B. Philippi affectus adeò validus fuit, vt non ſolum pectus, & brachia, verùm etiam totum corpus aliquando excuteret: quamobrem ex huiuſmodi inequali ſuccorum cordis intemperie, palpitationem in eo prouenisse minimè affirmandum cenſeo. *2. Non ex ſuccorum cordis inæquali intẽperie.*

Si verò exuberantiam ſanguinis conſideremus in ipſius corde, an potuerit id efficere; Animaduertamus oportet, vt ab initio diximus, optimum ſenem, omni tempore ſobrium, copioſiorem adeò ſanguinem, vt eo cor nimis abundaret, ad huius effectus generationem, producere nequaquam potuiſſe. Quod etiam confirmatur magis; quandoquidem in eius morbis aliquam ſanguinis miſſionem requirentibus, aut nulla, aut minima fuit omni ætate vſus. Nunquam verò, vel tenui, vel modico victu, quo ſemper vtebatur, aut curata, aut ſaltem aliquo modo mitior, ac leuior reddita eſt palpitatio, vt omnibus, qui huiuſmodi victu vſi ſunt, eueniſſe teſtantur* Medici clariſſimi: quare ex alia quapiam cauſa, quam ex copia ſanguinis, affectum hunc proueniſſe fatendum eſt. *3. Non ex copia ſanguinis cordis.* *Gal. 5. de loc. cap. 2.*

Neque

. Non ex aqua in Pericardio.

Neque ex copioſo humore, qui in pericardio,ſeu cordis capſula contineri ſolet, dubitari licet accidiſſe: nam huiuſmodi affectui obnoxij,timidi, ac triſtes ſunt, ſuffocari aliquando timentes. Hic autem hilaris ſemper fuit,dum vixit, neq; illo tenui victu,quo ſemper vtebatur, fuit adiutus, vt par * erat, ſi hac etiam cauſa affectus prouenißet; ſed certiores eius corporis ſectio nos reddidit: Nullus enim in eius pericardio humor adfuit, vt in hiſtoria fideliter relatum eſt, & ab omnibus, qui ſectioni interfuerunt, perſpectum fuit.

Gal. ibidem.

. Non ex Tuberculo alicuius partis cordis vicinæ

At quod aliquod tuberculum partibus inſpirationi inſeruientibus, aut pericardio infixum, huiuſmodi malum poſſet inferre, vnuſquiſq; ſibi facilè ſuaſiſſet, quoniam ex tactu,ex viſu, ac poſitu extuberatio ad oui gallinacei magnitudinem in parte, ſub qua palpitatio ſentiebatur, apparebat. Nullum tamen vnquam fuiſſe tuberculum, ſimiliter ex loci ſectione nouimus: ſolummodò aderat prædicta coſtarum diuiſio, de qua ſupra notatum eſt, & inferius proprio loco commodius, & quoad res ipſa patitur, fuſius dicetur.

. Non ex eleuatione pectoris, aut fractura coſtarũ.

Minimè verò aſſerendum venit ex tali fractura coſtarum, aut extuberatione palpitationem excitatam; quoniam ea internam thoracis partem, ſiue eiuſdem cauitatem non reddebant anguſtiorem, ſed ad omnia cõmodiorem, quia ampliorem locum effecerunt: Nam extuberatio erat externa; partes coſtarum inuicem diſtantes, ac verſus externam cutim eleuatæ.

Non per cõſenſum à toto vel à parte.

Alienæ ſunt quoquè cauſæ, quibus per conſenſum à toto, ſiue aliqua viſcerum occaſione, aut eorundem ſenſibili intemperie, alioue affectu palpitatio

tio excitari, vel foueri potuit: nam ex his affectarum partium operationes paululum ſaltem fuiſſent immutatæ, caloreuè, aut febris, aut cuiuſpiam partis dolor, aut alia affectio, familiaribus, & domeſticis, ſi nõ nobis, qui ſenis optimi per multos annos curæ interfuimus, dum ſæuiret palpitatio, leuem aliquam ſui ſignificationem præbuiſſent: Quinimo febres interdum, ac alij affectus B. Virum corripiebant, à quibus omnino curabatur, abſq; eo, quod vel palpitatio maior, vel frequentior ſe demonſtraret: Ex quo euidentiſſimum ſignum deſumere licet, quod neque corporis partes conſenſum præſtabant, neque ex toto proueniebat affectus.

Ex quibus firmum teſtimonium ſumitur, neq; ex craſſis, nebuloſiſq; vaporibus in alijs palpitationem inducentibus, vel irritantibus, in B. Viro fuiſſe excitatam; cùm nullus appareret locus, aut pars corporis, in qua huiuſmodi vapores gigni valerent; quod ipſius prædicta ratio victus confirmat, qua tandem praui omnes prædicti vapores fuiſſent conſumpti, ac etiam eorum viſcerum intemperies ſublata, quæ ipſorum generationis cauſa extitiſſet. *8. Neq; à vaporibus craſſis.*

Ob eandem ſanè rationem, neque in crapulam, viniuè immoderatum vſum, aut cauſam conſimilem, referenda culpa eſt; cum ſæpè repetitum ſit, eum, dum vixit, inedias, ac varios labores ſuſtinuiſſe, quæ non repletionem, vel conſequentia pariunt, ſed potius his aduerſa. *9. Neq; ex victu pleniori.*

Prædictis verò contraria, vt labor, exercitatio validior, & animi affectus, quæ hominem frequenter exercebant, eſto, quod palpitationem inducere potuiſſent, ſi ſæpius ex his frequenter adeò, vt ſolebat, affectus recurriſſet; certe ob ſpirituum reſolutionem, *10. Neq; ex motu cordis vel animi.*

tionem, ac diſſipationem; vel ſympthoma ipſum, palpitatio inquam, vel ſubiectum ſubſiſtere, ac naturaliter perdurare erat impoſſibile; adeò vt, vel hæc difficulter hoc malum efficere potuiſſent, vel ſi effeciſſent, aut illicò euaneſcere, aut affectum diutius nõ commorari, neceſſum fuiſſet. At B. Virum per continuos quinquaginta annos iam in hiſtoria relatum eſt à palpitatione nunquam fuiſſe immunem.

Neq; ex ſen- ... cri cordis.

Neque admodum difficile erit declarare B. Viri palpitationem ab acriori cordis ſenſu minimè originem ducere; quandoquidem ſenſus cordis exquiſitus non eſt efficiens cauſa cuiuſpiam affectus; nam ad ſubiectum hoc ſpectat, ſiue ad affectam partem, non ad cauſam efficientem, ſeu irritantem; ſi enim acrior huiuſmodi cordis ſenſus ſolus eſſet ſatis, ad hoc, vt malum valeret excitare, procul dubio ante trigeſimum annum orta eſſet palpitatio; quoniam ſicut ſenſus à prima origine ineſt, ita quoque, & alia inſunt, quæ ex ipſo conſequuntur, quamobrem, & ſimul cum eo eſſet orta palpitatio.

Non ex fer- ... e ſanguinis ... dis.

An verò ex feruore ſanguinis in corde contenti, aut vitalis facultatis incendio potuerit in eo cordis palpitatio ſuboriri, adhuc ſupereſt perpendendum, cùm præcipuè id maximè veriſimile appareat; nam æſtuabat ſæpè totus, atq. adeò validè, vt media hyeme iam ſenex octuagenarius refrigerium captare, & diuerſimodè perquirere cogeretur. Quod confirmat & illud in hiſtoria relatum, cum dicitur, cor illi duriſſimum repertum, & Pericardium aqua vacuum; quæ aliundè, quàm ex feruore, & ſummo incendio prouenisse, non videtur veriſimile.

Sed quamuis hæc magis probabilia reliquis videantur; ex ijſdem tamen oſtendam, naturaliter B.

Philippi

Philippi palpitationem oriri non potuiſſe. Cum enim palpitatio naturaliter fieri ſoleat ex ſãguinis feruore in corde concepti, impoſſibile eſt, vt diu perſeueret, niſi ex totius corporis plenitudine foueatur, ex qua ſubminiſtretur cordi materia, ac ſuccos ſufficiens, in quo feruor excitetur, hæc enim eſt, quæ feruorem fouet, & ſuccreſcere facit; Sed Beati palpitatio per annos L. perſeuerauit, abſq; totius corporis plenitudine: quæ enim plenitudo in ſene octuagenario, in corpore adeò gracili, in ratione victus adeò tenui reperiri potuit? Immo omnes non ignorant, quod ea; quæ ex totius corporis plenitudine palpitatio fouetur, quodam anni ſtatuto tempore, videlicet in vere * tantùm moleſtiam afferre maiorem, & reliquis quieſcere, vel ſaltem miteſcerere ſolet; ſed hoc in ipſo non cõtingebat; quinimo & quouis anni tempore, & quouis die recurrebat; ac ſæpius maximè augebatur; quare non ex ſanguinis cordis feruore oriri eam potuiſſe vnicuiq. manifeſtum apparet.

Gal. 5. de loc. att. cap. 2.

13. Non ex incendio facultatis vitalis.

Quando verò ex naturali vitalis facultatis incendio palpitatio aſſolet contingere, incendium vel perſeuerat, vel deſinit; ſi deſinit iam ceſſat neceſſariò & palpitatio: ſed iſte Beatus, & prius, & cùm ad octuageſimum annum peruenerat, adhuc autem, immo magis, & feruore, & palpitatione ſolicitabatur: non ergo ex naturali oriebatur incendio, quòd citò deſinit ipſius palpitatio. Si verò incendium longo tempore duret, vel in tabem (vt ſæpe ſolet accedere) vel in mortem potius deſinere ipſum neceſſe eſt; abſumitur enim ab huiuſmodi incendio humiditas naturalis, ſucceditq. neceſſariò ſiccitas, & interitus. At B. Philippus nunquam tabidus apparuit, vixit gracilis, & diu ſalubris, quamobrem aut

non ex incendio huiuſmodi affectus oriebatur, aut alterius naturæ incendium erat ab eo, quo cęteri homines corripi iudicantur.

Ad hæc etiam addere poſſumus, ex incendio motum * palpitationis ſimilem oriri potius, quàm ipſam palpitationem, ſeu quandam (vt cenſeo) palpitationem leuiorem; Habet enim huiuſmodi incendium vim abſumendi magis, quàm ſuccos exagitandi, & languet ex eo adeò facultas, vt robur ad validum motum edendum nequeat habere. Sed illius ſenis palpitatio ſæpè ſe validiſſima demonſtrabat; quia totius corporis motus conſequebatur. Quamobrem alterius naturæ feruor, ac incendium, & etiam ab ea, quæ naturaliter reliquos homines inuadere ſolet, alterius naturæ palpitatio dicenda eſt.

Gal. 4. aph. 65.

Quod ſymptomata Palpitationis B. Philippi fuerunt diuerſa à naturalibus. Cap. VII.

CONſtat igitur huc vſq; ſatis abundè nullam in B. Philippi palpitatione cauſam extitiſſe naturalem: ſed nunc reliquum eſt videre, an eandem naturam habuerit, quā reliquæ omnes, quod ex ſymptomatibus intelligemus, ab alijs inſeparabilibus, quæ tamen in hac, de qua loquimur, non adfuerunt, id enim vnuſquiſque ſuadere ſibi poteſt, ac debet, quod cordis palpitationem in via naturæ concomitare ſolet ſenſatio triſtis, timor, vel quoddam ſymptomatis genus perſimile, refrigeratis * partibus ſuperioribus, & calido compulſo, & contracto in anguſtum;

Ariſt. lib. de vit. & mort. cap. 15.

Hæc

Hęc autem in eo nunquam viſa ſunt, quinimo (mirabile dictu) ſicut ijs, qui talia patiuntur, moleſta eſſe ſolet, futuræ acceſſionis recordatio, in benedicto ſene ſemper adſtitit eius memoria iucunda; quod ipſe demonſtrabat, nam cum intentius palpitatio ſæuiret, maius illi afferebat gaudium, itaut potius nimia lętitia, quàm moleſtia aliqua, vel triſti ſenſatione, timoreuè, exolui interdum videretur. Ex quo fiebat, vt cùm ſe plenum, ac affluentem diuino ſpiritu magis, quàm ferre poſſet, animaduerteret; voluntariè à diuinis deſiſtere, & ad humana ſe conuertere ſoleret. His accedit, neminem cordis palpitatione * correptum, ex quacumq. cauſa oriatur, adhuc repertum eſſe, qui ad ſenectutem peruenerit, & quidem meritò, nam & ſymptoma eſt maximum, & pars affecta, quatenus ad vitã ſaltem ſpectat, maximè princeps reperitur; & ſenex * (vt Hippocrates affirmauit, & experientia, ſenſuſq. patet) vigorem fortem non habet, ſed carnes eius circa oſſa diffluũt, & cutis circa carnes, ipſiuſq; caro rara eſt, & debilis, & neque quid tale pati poteſt ſimiliter ſenior, veluti iunior: At ſenex benedictus non ſolum ad ſenium vitam, ſed ad decrepitam, vſq. ad annũ ſcilicet octuageſimum, cum integris ſenſibus, cum palpitatione frequentiſſima, & validiſſima produxit. Ex quo licet affirmare, ipſius palpitationem, ab omni alia penitus differre, & longiſſimè diſtare; quod profecto ex hac perſpecta demonſtratione, (quam mox audies) ita confirmatur, vt non amplius ſit hæſitationi locus.

1. Palpitatio ſine triſtitia.

Gal. 5. de loc. af. cap. 2.

lib. 1. de Morbis

2. Palpitatio diuturna.

B. Philippi palpitatio erat voluntaria, ergo non erat, vt aliorum hominum, vel naturalis, vel præter naturam, ſed ſupra naturam. Quod probatur; nam, vt ſupra diximus, vel palpitationem aſſeris eſſe pul-

3. Palpitatio voluntaria.

ſum cordis maximè deprauatum, vel eiuſdem motum, quo aliæ particulæ, dilatabiles afficiuntur. Si hoc dicis, iam ſuperius audiſti, paſſionem hanc, neq; voluntariæ * virtutis eſſe propriã, neq; inſtrumentorum ad hanc ſpectantium. Si verò admittis, vt debes, palpitationem cordis eſſe ipſius motum deprauatum (neq. enim opportunum eſt nunc perſcrutari, an vterq. ſimul adſit, quoniam & idem ſimul iunctorum eſt iudicium) conſequens eſt hunc nullo pacto voluptarium eſſe, cum nullus cordis motus, ſiue ſecundum naturam, ſiue præter naturam eueniat, ſit voluntarius, vt diximus, cordis motum neque cohibere, neq. * excitare, neq. crebriorem, neq. rariorem, neq. tardiorem, neq. velociorem efficere, aut quo vis alio modo reliqui homines eorum voluntate immutare poſſunt. At B. Philippus ad libitum palpitationem compeſcebat, quàm motum cordis deprauatum eſſe iam conſtat. Ergo ipſius palpitatio erat voluntaria, eaq. non vt reliquæ, naturalis, vel præter naturam, nihil enim refert, quid nam harum nunc dixeris. Ergo relinquitur, quod eſſet ſupra naturam.

Gal. 2. de cauſ. ſympt. 2.

Gal. 1. de motu muſc. cap. 3. & 7. de anath. adminiſtr. cap. 8. & 2. de motu muſc. cap. 5.

Quod palpitatio B. Philippi neque fuerit naturalis reſpectu curationis. Cap. VIII.

Reliquum eſt ex tertio capite ab Hippocrate à principio aſſignato probare palpitationem cordis B. Philippi non fuiſſe naturalem, quoniam ſcilicet, naturali caruit curatione. Naturalibus auxilijs, ac remedijs, curari

certè

certè ſolent naturales affectiones, dum curatione indigent; ſed naturalibus auxilijs, quibus Medici vti ſolent, non fuit benedictus ſenex adiutus, neq. talibus eius affectio curabatur, ſed cogitationibus, & diuerſionibus, vt demonſtratum eſt, voluntarijs: Quod auxilium, tanquam in arte Medica, in huiuſmodi re ſummoperè contrarium, nunquam in ipſa arte auditum, nunquam amplius animaduerſum; ſed ita verè diuinum, vt fateri nos cogat id, quod in morbis diuinum eſt, diuinam opem deſiderare.

Concluſ. & epi- gus dictorum.

Concludamus igitur neceſſe eſt, hanc palpitationem B. Philippi, quoniam caruit naturali curatione, nullamq. cauſam habuit naturalem, fuitq. voluntaria, ac ſine vlla triſti ſenſatione tamdiu facilè perſeuerauit; & Medico artifici ſenſato, cuius facultas non eſt vltra corporea, atq. ſenſibilia, cauſas naturales inuenire non licuit, omnino arduam, & ſupra naturam extitiſſe. Quod etſi per ea, quæ dicta ſunt, ſatis ſuperq. probatum ſit, quantum ad Medicum pertinere videtur: magis adhuc infra, etſi Medicum excedat negotium, manifeſtare tentabimus, quando ſupernaturalem cauſam inquiremus & ipſius palpitationis, & reliquorum B. Philippi affectuum.

Nunc in animo eſt, de inſueta eiuſdem coſtarum fractura, verba facere, vt deinde facilius, & commodius (quatenus tamen vires noſtræ ferunt, & huiuſce rei natura patitur) omnium ſimul cauſam aſſignare valeamus.

DE FRACTVRA COSTARVM B. PHILIPPI NERII

Ab Angelo Victorio diſputatio edita.

Quid ſit prius agendum, quid inquirendum, & ratio agendorum. Cap. I.

DE fractura coſtarum B. Philippi diſputationem inſtituentes, eadem perquirenda ſunt, quæ de palpitatione inquirebamus. An ſcilicet cauſas, curationem, & ſympthomata, ſeu naturam habuerit, vt in reliquis hominibus eſſe ſolet. Cum enim reperiantur & alij, quibus coſtæ fractæ fuerint, propterea videtur oriri non vulgaris difficultas, an hæc fractura de qua loquimur in B. Philippo habeat aliquam cum illis cõmunionem, & ſit præter naturam, an ſit omnino differens, & ſupra naturã, quod eſt diligenter perquirendum. Prius tamen neceſſariò explicandum eſt, quomodo in via natu-

naturali fieri poſſit diſruptio, & fractura coſtarum præter naturam. Pro cuius maiori intelligentia, neceſſe eſt præmittamus etiam quæ, & quot ſint Coſtæ in homine, quibus alligentur, & quæ rumpi, frangiq. valeant, cum non omnes ad fracturam omni ex parte deſtinentur. Ita enim ſpecialiter, & cómodius hæc, de qua loquimur comprehendetur. His addemus, clarioris notæ gratia, à quibus cauſis frangi coſtæ ſoleant, quæ ſubſequantur, quomodo, & quot diebus naturaliter conſolidentur.

Coſtæ igitur, vt ex Anathome demonſtratur in homine, vt plurimum, vtrinq; ſunt duodecim, à quo numero ſi aliquando accidat variare, tredecim ſæpius, quàm vndecim ſeſe offerunt; ſeptem ſuperiores, quæ vertebris, & pectoris oſſi articulantur, & connectuntur, atq. iſtæ oſſeæ ſunt, & oſſeæ vocantur. Aliæ quinq. humiliores, quæ ſpuriæ, vel mendoſæ dicuntur, quia ſolis vertebris compinguntur, & cum vſq. ad os pectoris non pertingant, non oſſeæ, ſed cartilagineæ, in cartilaginem degenerantes, nominantur. Sciendum quoq. eſt, quod quicquid coſtis interceptum, circumſcriptumq. venit, thorax dicitur; Anterior verò thoracis pars pectus eſt, cuius latitudo, vbi coſtæ iunguntur, os pectoris nuncupatur, cuius ſuprema pars incipit à clauiculis, & infima in ſeptum tranſuerſum deſinit.

1. Quot ſint Coſ[tæ] Veſſal. lib. 1. ca[p.] 17. Columbus l[ib.] cap. 19.

2. Quibus Coſ[tæ] iungantur.

Ex ipſis verò coſtis, ſeptem illæ ſuperiores quãplurimis hominibus abrumpuntur, quia oſſeæ ſunt, quod illis accidere ſolet non in poſteriori parte ſolùm thoracis, ſed etiam in anteriori. At inferiores coſtæ, nempe quinq. illę, quas cartilagineas vocant, & mendoſas, quia molles ſunt, & in anteriori parte cartilagineæ, idcirco in ea rumpi nequeunt.

3. Quæ Coſ[tæ] frangi valean[t].

Duo-

4. *Quot modis Coſtæ frangãtur.* Duobus tantùm modis Coſtæ franguntur; Alter eſt cum contunduntur, ſeu atteruntur, cum circundantis carnis ſimul contuſione. Alter eſt cum coſtæ in duo fragmenta tranſuerſim diſrumpuntur. Si quę verò alię fracturę coſtarum ſpecies reperiuntur, ad has ſine dubio reducantur neceſſe eſt.

Quę cauſæ ſint fracturæ. Frangantur autem quomodocumque, ſemper aliquam adfuiſſe cauſam oportet; vt caſum, percuſſionem, renixum, rerumvè externarum violentum incurſum; Internarum autem cauſarum vi, nunquàm reperi apud antiquos, coſtas cuipiam fuiſſe fractas, ac neque grecos, neque latinos id adnotaſſe. Non deſunt tamen noſtri temporis Medici, qui ex vehementiori cordis motu, & palpitatione, tamquam ab intrinſeca cauſa, rumpi coſtas, ac moueri poſſe contendunt, vt paulò infra videbimus.

Symptomata quæ. Hipp. lib. de artic. com. 3. Omnes coſtarum diſruptiones, & fracturæ, cum oſſa ad internam partem vergunt, inflammationes, * febres, ſanguinis expuitiones, comites habent, aliaq. grauiora ſymptomata; quæ verò fractę in duas partes tantùm ſunt extrorſum, & ſi leuiora accidentia habere ſoleant, non tamen dolore, & moleſtia carent; licet & quędam ſymptomata ex ſupradictis adeſſe poſſint, & huiuſmodi alia.

Quot diebus Coſtæ curentur. Hipp. ibid. Cęterũ quę leuiora ſympthomata habent, ac pauciora, facilius etiam, & celerius curantur, quæ plura, & grauiora difficilius, & tempore longiori. Corroboratur enim coſta, quę leuiora habet ſympthomata diebus viginti; celeriter enim his oſſibus calli obducuntur, quæ verò cum contuſione eſt, aut ad interna vergit, difficilius, & tardius curatur, ac pluribus eget pręſidijs; Calli tamen obductione tandem ſanantur; ſicuti & altera ruptionis ſpecies, ſeu

ſicuti,

ſicuti, & cæterę oſſium fractur.

Hæc ſunt, quæ de modo, quo ſanantur, & conſolidantur coſtarum fracturæ, de tempore, de ſymptomatibus, de cauſis, ac reliquis iam dictis, breuiter attigimus, & neceſſariò præmittenda duximus, vt facilius omnes intelligant, quantum à reliquis omnibus differat hæc, de qua loquimur, coſtarum fractura; vt ex huiuſmodi diſcrimine, abſq; vlla alia demonſtratione, omnibus ſupra naturalem extitiſſe innoteſcat.

Quod coſtarum fractura B. Philippi non fuit naturalis. Cap. II.

OMnes facilè cognoſcent ex ijs, quæ dicere paramus, Coſtarum fracturam B. Philippi non fuiſſe naturalem, & 1. quoniam coſtæ, quinta ſcilicet, & quarta ex mendoſis in parte anteriori fractæ erant, quod naturaliter fieri eſt impoſſibile, prout ratione, & maiorum auctoritate facilè demonſtratur. Eſt quidem euidentiſſima Pauli Aeginetæ auctoritas, qui, ex coſtis, inquit, oſſeæ quidem omni ex parte rupturam ſuſtinent, ſpuriæ verò .i. mendoſæ, in ea tantùm parte, quæ ſpinæ adiacent, nam hìc ſolùm oſſeam naturam habent, in exteriori parte in cartilaginem degenerantes contunduntur, nullam fracturam recipientes. Hunc ſequutus eſt Auicennas. Hippocrates autem, dum loquutus eſt de fracturis coſtarum, id ſignificare prætermiſit, quia vt breuiloquus, tanquam manifeſtum conſultò prætermiſit. Innituntur autem omnes rationi, quam Aegineta affert, quoniam ſcilicet id tantùm poteſt frangi

1. quia fract. ſunt coſtæ cartilagineæ.

Paulus lib.[6] cap. 96.

Auic. lib. 4. cap. proprio.

Hippocr. loc. cit. de art.

D quod

quod durum, quodq. oſſeum eſt, quod verò cartilagineum, & molle eſt, non frangi,& diſrumpi,ſed tantùm contundi, flecti, & curuari valet.

Nullam audis ex dictis, cartilagineas coſtas ſuſcipere poſſe fracturam, niſi in parte poſteriore thoracis, quæ ſpinæ adiacet. Nihilominus B. Philippi coſtæ mendoſæ. i. carthilagineæ in parte anteriore pectoris fractæ erant, vt vidimus omnes in ſectione, quod alicui vnquam contigiſſe neq. viſum eſt, neque auditum, tanquam excedens omninò facultatem ipſius naturæ, quia naturaliter cum non ſint oſſeæ, quarum proprium eſt frangi, ſed cartilagineę, quæ ſolùm curuari, & flecti debebant, tamen fractę per quinquaginta annos permanſere.

2. quia fractæ ...it ſine ſymptom.

Secundo non fuiſſe præter naturam in via naturali fracturam coſtarum B. Philippi, ex eo confirmatur: quoniam ipſe, neque à principio, anno ſcilicet ſuæ ætatis trigeſimo, cum fractæ ſunt, neque in poſterum vnquam per annos quinquaginta dolorem, aut triſtem quempiam ſenſum, vel moleſtiam perſenſit. Immo poſt acceptam hanc pectoris amplificationem ex fractura factam, pòtius gaudium, & animi voluptatem non mediocrem deguſtauit, cùm tamen è contra naturaliter fieri deberet, vt in reliquis hominibus euenire quotidianus vſus, & ratio, & magnorum virorum auctoritas teſtatur. Vbi enim, inquit Democritus, habitus corporis ægrotat, neque mens ipſa alacritatem habet ad virtutis meditationem; nam præſens morbus animam vehementer obſcurat, intelligentiam ad affectionem per conſenſum ducens.

...n epiſt. ad Hippocratē de nat. ...umana.

Accedit præterea etiã ex hoc ſupernaturalē fuiſſe affectũ, quia dũ B. Philippus vixit, ſemper adfuit illa fractura coſtarum: repertæ enim ſunt illę duæ coſtæ

...quia nunquam ...ratæ ſunt, ſeu ...nitæ.

ſic

ſic diſiunctæ tranſuerſim in ſectione, quæ tam longo temporis ſpatio, vel vniri, vel ſaltem callo aliquo obduci conſentaneum erat, prout fieri cõmuniter ſolet. At in B. ſene fractæ, & diſiunctæ coſtæ, non diebus viginti, vel quadraginta, vt docuit Hippocrates; ſed à trigeſimo ſuæ ætatis anno, vſq; ad octuageſimum, vt ſectio nos certiores reddidit, permanſerunt. *lib. cit. de arti com. 3.*

Neque quidpiam officit, ſi dicas coſtas fractas permanſiſſe: quoniam ſemper fracturæ cauſa perſeuerauit, palpitatio ſcilicet, quæ ſuo frequenti, & validiſſimo impulſu efficiebat, vt conſolidari non poſſent: Aut interiecto tumore cum ampliatione, non tantùm fractas, ſed etiam citra iniuriam, & dolorem perſiſtere potuiſſe. *Obiectio 1.* *Obiectio 2.*

Facilè huiuſmodi obiectiones tolli poſſunt, ſi memoria repetas extuberationem illicò exortam fuiſſe, vt neq. à palpitatione fieri, neq. ab ea foueri potuerit, vt paulò plenius infra probabitur. Cęterùm, ſi concedamus etiam ex palpitatione id proueniſſe, adhuc neceſſe eſt fateri coſtarum fracturam fuiſſe ſupranaturalem; quoniam habuiſſet ſupranaturale principium; nam ipſam palpitationem non fuiſſe naturalem, iam eſt pluribus modis probatum, atq; infra adhuc magis dilucidabitur. *Sol. 1. obiectionis.*

Tollitur etiam obiectio ſecunda, cùm ex ſectione nouerimus nullũ vnquam coſtis callum ſuperueniſſe poſt fracturam, aut alienam aliquam materiam fractis oſſium partibus interceſſiſſe. Inuenimus enim fractarum coſtarum partes ad inuicem diſtantes, & ipſarum extremitates eleuatas, efficientes eam, quã ſæpius diximus, extuberationem: erant namq. abruptæ coſtæ, non ſecus ac eſſe apparent primis diebus alijs hominibus, cum franguntur. Atq; ex hoc om- *Sol. 2. obiect.*

nibus pro comperto eſſe debet, hanc fracturam enarrato modo permanentem, perpetuam afferre debuiſſe mordicationem, aut punctionem, aut triſtẽ quendam ſenſum, ne dicam ingentem, ac perpetuum dolorem, ob inæqualitatem, & aſperitatem extremitatũ oſſium perfractorum: cum tamen nihil horum vnquam, perceperit.

...quia non adfuit cauſa externa.

Ex eo quoq; non fuiſſe naturalem huiuſmodi fracturam, affirmandum eſſe omnino ducimus, quia nullam habuit cauſam, vel externam, vel internam naturalem. De externa euidentiſſimum, ac certiſſimum eſt, cum neq; caſus, neq; percuſſio, neq; vlla alia violentia præceſſerit.

An ex interna cauſa naturali euenerit fractura coſtarum dubitatur, & affertur opinio Fernelij Cap. III.

DE interna videtur eſſe aliqua dubitatio, quoniam Fernelius vir doctiſſimus affirmat ex vi palpitationis poſſe coſtas frangi, ac loco moueri, atque eo modo non ſupra naturam, ſed hæc naturaliter in morbis contingere. In hoc admonitum te prius eſſe volo, quod non tanti putare oportet hunc auctorem, quanti ipſam veritatem, pro cuius veritatis inquiſitione prius ſunt ipſius Fernelij verba afferenda, deinde explicanda, tùm, vt decet, perpendenda. Palpitationis tanta vis eſt, inquit Fernelius, vt ſæpe ſit animaduerſum thoracis vicinas coſtas effregiſſe, ſæpe & eas, quæ ſupra mammam ſunt, de propria ſede depuliſſe. Quorum verborum

Verba Fernelij lib. 5. de part. morb. cap. vlt.

rum nullus alius poteſt eſſe ſenſus, quàm ſequens. Palpitationis tanta vis eſt, vt coſtas thoracis ſibi vicinas, & directè obiectas frangere valeat: ſuperiores verò, ad quas ob maiorem diſtantiam ictus cordis violentia tàm validè peruenire non poteſt, ſicuti ad coſtas ſibi vicinas, & directè oppoſitas, è propria ſede depellere tantùm poteſt. i. luxare, vel flectere, vel extollere, ſed non rumpere, non frangere. Nullus enim alius horum verborum eſſe poteſt ſenſus, ſiue ipſa verba perpendas, ſiue rei naturam conſideres. *Explicatio.*

Non tamen huius auctoris placitum admittendum videtur, quoniam affirmat ſæpe fractas, & ſæpe è propria ſede coſtas ex vi palpitationis depulſas, non ſecus ac ſi palpitatio eſſet affectus frequentiſſimus, vt febris eſſe ſolet, vel ſimilis, quamplurimos ſemper, vel ſepe homines inuadens: cum tamen contra conſtet, innumeros eſſe homines, qui à palpitatione non afficiantur, quinimmo pauciſſimos reperiri, nullos qui eo modo corripiantur, quo aſſerit Fernelius. Sed quæſo, cur non eſt conſiderandum, quomodo adeò ſæpe eius tantùm ſæculo hæc contigerunt? eius, inquam ſæculo, cum nullus vnquam ante ipſum, quòd ſciam, hoc vel ſemel animaduerterit, aut ſcriptum reliquerit, nulluſq; antiquorum hanc internam coſtarum fracturæ cauſam, aut luxationis, aut flexionis agnouerit (Non te tamen decipiat vertebrarum luxatio, quæ ab interna etiam cauſa fieri poteſt) Nullũ enim inuenies Medicum poſteriorem, qui talia, vt Fernelius affirmet. Sequuti ſunt huius magni viri auctoritatẽ quidam neotherici, in quibus eſt * Euſtachius Rudius Bellunenſis, * Nicolaus Piſo Lotharingius, * Carolus Petraalba Placentinus, & alij, nullã vel rationem, vel maiorum auctoritatem adducentes, niſi illius

Impugnatio of Fernelij.

1. quod rarò [ac]cidit, profert [tamquam] frequentiſſimi[um].

lib. 2. cap. [...] virtut. & v[...] cordis.
lib.2.cap.11. [...] praxis.
lib. de vera [...] ma med. cap[...]

illius doctiſſimi viri exemplum. Sed profectò ſententiã hanc tanquam nimis liberam non omnino receperunt, ſed moderatiori ſermone vſi, non ſæpe, ſed quandoq; eueniſſe (ſed non vidiſſe) vel euenire potuiſſe, Fernelij nomine moti, affirmarũt. Conſtat tamen hos omnes, quos oculis magis credere, quàm aliorum opinionibus oportebat, potius ex Fernelij auctoritate loquutos, quàm ex eorum proprijs obſeruationibus.

Hipp. 1. de ... ta.

Maior tamen gratia Doctiſſimo Fernelio habenda foret, ſi aliquas ſaltem hiſtorias de hac re quaſi omnibus noua, & ab antiquis non obſeruata, vt de rebus rarioribus fieri ſolet, memoriæ prodidiſſet, adiecto loco, tempore, ægroto, ac reliquis omnibus ad hanc rem ſpectantibus, more magnorum virorum, qui vtilitatis gratia, vt poſteris tùm magis prodeſſent, veras hiſtorias tradiderunt, tùm propriæ exiſtimationi conſulentes, ne texere figmenta viderentur.

quia hæc tan... am noua non ...nfirmat hiſto... r.

Ex his conſtat huius viri præclariſſimi aſſertionem dubitatione maxima non carere, ſimilemq; eſſe alijs quibuſdam eius placitis, quæ præter opinionem ſunt, & quibus contradicit veterum auctoritas, & experimentum omnis ætatis; vt eſt illud, quod eodem lib. & cap. habet Fernelius, dum credit vlcera cordis caua, & ſordida, multo iam tempore viuente homine, fuiſſe contracta: aut Artritidem, & Podagram ex fluxione ab externis ſolùm capitis partibus, nunquã autem ab internis oriri, neq; ex alia corporis parte: aut calculos in veſica non generari, ſed tantùm augeri.

quia ſunt præ... r opinionem.

Eſto

Eſto quod vera eſſet opinio Fernelij, quod palpitatio naturalis poſsit frangere coſtas nihil tamen facit ad B. Philippi palpitationem. Cap. IIII.

QVoniam verò magna eſt huius magni nominis viri, apud quamplurimos homines auctoritas, propterea in eorum gratiam, qui eius doctrinam non minus quàm Galenicam ſectantur, placeat nunc magis admittere, quæ ab ipſo dicta ſunt, quàm refellere. Interea dum concedantur, erit noſtrum apertè demonſtrare, eius placita longius diſtare, nihilq; cõmune habere cum ijs, quæ ſpectant ad palpitationem B. Philippi, idq; pluribus rationibus euidentiſſimè fiet. Ex quibus perſpicuum eſt, quod nullo quidem pertinaci contradicendi genere aduerſus doctiſſimum, & clariſſimum virum, ſed vnius tantùm veritatis inquirendæ gratia moueor. *Admiſsio opini nis Fernelÿ.*

Erit igitur, vt ad hæc deſcendamus, videndum, an coſtarum fractura, de qua loquimur, ex vi palpitationis euenire potuerit: ſi enim inuenerimus ab ipſa non proceſſiſſe, nulla naturalis cauſa ſupererit, in quam poſſit referri, ſed ſola diuina, quam ſuo loco manifeſtare conabimur.

Cum igitur eleuatio pectoris in B. viro, & coſtarum fractura, priuſquam palpitatio eum inuaderet, apparuerit, vt in hiſtoria adnotatum eſt, certè non potuit ex vi palpitationis eleuari pectus, cum palpitatio non adeſſet. At ſi quis obijceret, quod verè inerat palpitatio, quia tùm cor feruere, & incendi cœperat, *non adfuit ca ſainterna nemp palpitatio.*

rat,

niſſe conſtat; ſimiles enim videbantur eius affectus naturalibus, vt naturalis feruor apparebat, quia ipſum ea pati conſpiciebamus, quæ alij æſtuantes homines patiuntur. Naturalis quoque palpitatio videbatur, & totius exagitatio, & pectoris concuſſio, non aliter fiebat, quàm in ceteris hominibus euenire ſolet. At cũ hæc diuina eſſent, diuinitatis etiam ſigna non incõſpicua præferebant, vt verè dictum fuerit, diuinitus immiſſos morbos, quodammodo tantùm, & non omninò, ſimiles eſſe naturalibus. Naturaliter enim nullo obducto callo tandiù fracturam coſtarum perdurare, impoſſibile erat.

Concluſio & epi-logus dictorum.

Fractura hæc igitur, de qua loquimur, omni naturali cauſa, tùm externa, tùm interna, ac omni ſymptomate caruit: curationem nullam naturalem recepit; vt ergo reliquæ omnes in alijs, in eo naturam non habuit; quare concluditur, quod & diuina, & ſuper naturalis abſq; dubio dicenda ſit iſta admirabilis fractura. Et ex hoc pro comperto haberi debet, quod * quæcunq; oculorum conſpectum effugiunt, ea tantùm mentis oculis obtinentur, & ſuperantur; apparetq; ſimul, quod magna vis eſt, atq; potentia veritatis, quæ contra omnium ingenia facilè ſeſe ipſam defendit.

Hipp. lib. de a

Explicatur ſupernaturalis cauſa omnium affectionum B. Philippi. Cap. V.

ETſi ſatis declaratum eſt, quantùm ad Medicam contemplationem attinet, probatumque circa ea, quæ in admirabili hac fractura coſtarum occur-

rebant, cum exploſę ſint omnes cauſæ naturales, à quibus oriri naturaliter ſolet, ac cętera omnia, quæ ad naturales affectus conſtituendos requiri ex Hippocrate tradidimus. Tamen nunc alio habitu induti eadem confirmare tentabimus, cauſam B. Philippi affectionum aſcendendo perquirentes. Verùm te prius, lector, moneo, vt Chriſtianam potius, piamq; certitudinem, quàm Mathematicam expectes, & à nobis requiras. Hoc tantùm res ipſa patitur, & vires meæ permittunt. Hoc igitur, quod ego valeo, ęquo animo ſumas, ad quod præſtandum accedo.

…uſa affectionũ …. Philippi ex …thore.

Cauſam igitur omnium B. Philippi affectionum à principio enarratarum nullam aliam fuiſſe cenſeo, niſi diuinum feruorem ſpirituũ in corde contentum. Hunc diuinarum rerum contemplatio excitabat, & amor inditus diuinus: ex amore enim oritur contemplatio, & ex contemplatione feruor. Fertur namq; facilè amans in obiectum, vt eo potiatur, atq; fruatur, in ipſum inquam tranſmutetur, quoad fieri poteſt, ac transformetur. Ex huiuſmodi amati obiecti contemplatione intenſum animæ deſiderium, & feruor ſuccreſcit; * eſt enim feruor amoris effectus, & ipſi tribuitur; ſed ad animam huiuſmodi affectus pertinet; neceſſariò tamen ipſum * conſequitur aliqua corporis immutatio, trahit enim anima, cum valdè afficitur, ipſum corpus, ac eſt * omnium paſſionum corporibus nutrix; quare feruori animæ ſpirituũ feruor in corde ſuccedit, cum ibi ſit prima ſedes amoris, ac ibi natura feruere magis ſpiritus apti ſint. Cùm ergo animæ feruor excedit, conſequens etiam eſt & cordis feruorem eſſe validum. Cordis autem feruori & alia ſuccreſcunt, vt B. Philippo accidit; etenim ratione, & occaſione feruoris cordis, reliqua omnia,

…. Thom. 1. 2. … 28. artic. 5. …d argumenta in …rinc.

…. Thom. ibid. …d argumenta in …ine.

…ato de leg.

nia, quæ à principio dicebamus,ſunt ſequuta; vt palpitatio, æſtuatio totius thoracis, durities, & magnitudo cordis, itemq; magnitudo, & durities venæ arterialis, ac tandem aquæ, quæ in pericardio contineri ſolet, conſumptio. Feruori enim, cum validus eſt, ac repentè in corde incidit, ſuccedit hæc valida palpitatio; tùm quoniam feruentia extolluntur,pręcipuè cum anguſtum locùm ſubeunt, vt rerum vſus oſtendit; tùm quoniam exorto feruore, neceſſitas oritur refrigerationis, quam * cor ipſum perquirere coactum, motum magis adauget. Si verò neceſſitas hæc maxima ſit, & de repentè appareat, excitatur palpitatio,quæ B. Philippo admodum frequenter recurrebat; quoniam validè, ac ſubitò, ex quocumq; Diuino ſermone, aut memoria, ſummo feruore, ac inexplicabili deſiderio fruendi Dei excitabatur, feruorq; animæ in corpus redundãs & cordi,& toti thoraci communicabatur, & quandoq. vniuerſo corpori. Cordis enim affectus facilè corpus inuadebat, atq. id erat in cauſa, vt non ſolùm pectus, ſed etiam corpus totum concuti conſpiceretur; cum in eo ſit * confluxio vna, conſpiratio vna, ſintq. conſentientia omnia.

Gal. 1. de cau. pulſ. cap. 5.

Hipp. l. de alim.

Cur B. Philippus hoc ſupernaturali affectu ſollicitatus fuerit, & non alius. Cap. VI.

OCcurret facilè quiſpiam,cur non omnes, qui Deum maximè colunt, prout plurimi omni tempore extiterunt perfecti homines,& ſancti,ſimili cordis palpitatione afficiantur? Immo cur nullus alius

 hucuſq.

hucuſq. repertus ſit, qui huiuſmodi affectione, ex Diuini amoris feruore ſit correptus? de nullo enim alio quid ſimile, vel audiuimus, vel (quod ſciamus) legitur.

1. Reſponſio. Huic, ſi ex curioſitate perquirit, nulla alia reſponſio dari poteſt decentior, quàm affirmare B. Philippum amore æſtuantem, palpitatione affectum, quoniam ita Deo placuit. Neq. enim eorum, quæ Deus operatur, homo tenetur, aut poteſt certas rationes aſſignare, cum tamquam * figulus ex eadem maſſa luti, vaſa alia ad honorem, alia ad contumeliam, prout magis ipſi placuerit, libere effingere poſſit.

D. Paulus ad Rom. 9.

2. reſponſio. Sed minus genericè loquentes, ac proximiorem rationem afferentes, monere eoſdem poſſumus, Deũ operari in omnibus ſecundum modum eorum, ac ſequi * quodammodo naturales hominum diſpoſitiones; vndè factum eſt, vt Deum colendo, alij ſemper hilares, alij ſubtriſtes, alij in lachrimas ſoluti, alij cum perpetuo ſilentio fuerint, & alio modo alij. Quoniam verò, vt piè credendum, inuenerat in B. Philippo occultas quaſdam, & nobis incognitas diſpoſitiones, ideo in prædictum affectum ex amoris feruore eum induxit. Verùm, ſi liceat homini, aliquo modo arcana Dei rimari, ea qua decet, humilitate, & in eorum gratiam, qui B. Philippum viuentem agnouerunt, & qui hodie illum piè venerantur, aliam afferam reſponſionem, ſi non neceſſariam, ſaltem maximè congruam, & probabilem.

D. Thom. 1. 2. q. 51. art. 4. ad 2.

3. reſponſio. Sciant igitur omnes B. viro, maximè ſemper de proximi ſalute ſollicito, omni diligentia confeſſionibus audiendis, & vita inſtituendis, & quibuſcumq. exercendis, quæ ad vitam actiuam pertinent, incumbenti, tempus ſemper admodum breue ſuperfuiſſe,

quo

quo contemplationibus vacare poſſet, niſi ſumma Dei benignitas, & liberalitas id modo quodam peculiari ei conceſſiſſet. Modus autem erat per illam, de qua toties loquuti ſumus, ſupernaturalem palpitationem, ſcilicet dum ipſa excitabatur; nam huiuſmodi palpitatio nihil aliud erat, quàm breuis quidam raptus, & eleuatio in Deum; extolli enim, ac ferri quodammodo in ea ad Deum videbatur; nam quoties erat ſermo de Deo, pectus incipiebat attolli, & vniuerſum concuti: at motus ceſſabat, cum ipſemet ad ſigna ſanctitatis occultanda, ſecularia, ſeu minus ſeria conſultò ſermonibus admiſcens, internum feruorem compeſcebat, aut quoties ad alia, quæ ad actiuam vitam ſpectabant, incumbere debebat. At cum ſe ipſum ab hominum frequentia abdicabat, & contemplationi ſerius, ac diutius vacare poterat, non ſolùm à palpitatione ſollicitabatur, ſed etiã exſtaſi arripiebatur, prout in eius vita traditum eſt à Gallonio, & oculati teſtes retulerunt: quod B. Viro ſæpius adhuc accidiſſet, niſi ipſemet vltrò, & conſultò prohibuiſſet. Frequentius tamen ex Diuinarũ rerũ ſermone palpitatio recurrebat, vt eo frequentius ſeruum ſuum ad vitam actiuam incumbentem Deus ad ſe traheret, quo breuiori tempore in contemplatione eſſe poterat; vt ea, quæ B. vir ex amore proximi, diuina gaudia amittebat longiora, ex Dei remuneratione reciperet frequentiora: vt is, qui quamplurimos homines inducere ad Dei amorem nitebatur, quamplurimas ipſe viciſſim diuini feruoris motiones ſentiret: breues quidem, ne à muneribus, quibus, dum in actione erat pro ſalute proximi, operam dabat, diuerteretur; ſed frequentes, ne diuinis gaudijs, à quibus, vt ſaluti proximi conſuleret,

Qualis verè eſ[t] palpitatio in [B.] Phil.

Gallonius in [vi]ta B. Philippi

ſuleret,

ſuleret, abſtinebat, deſtitueretur : breues inquam, vt ipſe ſanctitatem, quo ad iuris erat, conſultò cęlaret: frequentes autem, vt Deus maiori ſanctitate in dies eum cumularet, vel iam cumulatum inſpicientibus demonſtraret. Nihil aliud erat ergo B. Philippi palpitatio, quàm breuis quidam feruor, & in Deum eleuatio, & affectus ſupra naturam. Quemadmodum verò feruori ſpirituum in corde ſuccedebat palpitatio; ita etiam pectoris, & thoracis, & quandoq. totius corporis æſtus; non tamen ſemper cum palpitatione contingebat, neque adeò frequenter, ſed quoties validior erat palpitatio, inualeſcebat. Aeſtus autem ſimilis ex cordis feruore oriebatur, vt ex cauſa efficienti: nam cordis affectus, vt ſupra diximus, facilè vniuerſo corpori communicatur; calor verò facilè diffunditur, & qualitatem ſibi ſimilem producit. Hic autem adeò augebatur aliquando in B. Viro, vt refrigerationem perquirere cogeretur: nullum tamen in hoc ex Medici conſilio præſidium aduocabat, ſed frigidioris aeris attractione facilè calor ſedabatur, aut leuiſſimis conſimilibus auxilijs, quibus vti Deus benedictus permittebat, etſi affectus ortum duceret ex diuino principio; quoniam quæ naturalia ex conſequenti ſuccreſcebant, naturalibus leniri decebat, non tamen omnino tolli, ac euelli radicitus, quoniam origo non erat naturalis. Palpitationi verò ſucceſſerunt alia quædam ſupra naturam; nam ipſa ſui natura mortem attuliſſet intra conſuetum tempus, vt ſuperius dictum eſt; ſed non ſolùm mortem non attulit, immo neq. moleſtiam, vel aliam lęſionem; Deus enim cum non deficiat in neceſſarijs, ipſum lædi minimè patiebatur.

Sympto-

Symptomata, quæ cęteris hominibus in morbis naturaliter euenire ſolent, in B. viro fuerunt ſupra naturam. Cap. VII.

CVM igitur ex Dei voluntate eſſet, vt B. vir ad ſenectutem, decrepitamq; ætatem cum palpitatione perueniret, coſtas ab initio fractas reperiri, & voluntariam palpitationem eſſe permiſit; venam arterialem dilatauit, & duriorem reddidit; cordis ſolitam magnitudinem, & duritiem auxit. Quæ omnia ſimul facta fuiſſe veriſimile videtur.

Coſtas igitur à principio effregit, quoniam cor B. viri dum in feruore erat, valida egebat refrigeratione, neq; ſatis illi erat, quam communiter natura producere ſolet. Vt ergo commodius, & cumulatius pulmones, per quos cor ipſum euentilatur, maius refrigerium maiori calori prębstare poſſent, idcirco illis maior ſinus, & amplius cordi domicilium ex coſtarum diuiſione mirabiliter paratum fuit.

Eiuſdem Diuini feruoris occaſione vena arterialis duplo maior, & conſueto durior eſt effecta, quod hinc facilè cognoſces, quoniam huiuſmodi vena, quæ ex corde fertur in pulmones, à natura ob id facta eſt (vt optimè animaduertit Realdus Columbus Anathomicus ſui temporis peritiſſimus, licet alij aliter ſenſerint) vt ſanguinem puriorem, ex dextro cordis ventriculo in pulmones deferret, tùm vt ipſos nutriret, tùm vt elaboraretur, ac præpararetur in pulmonibus, *Realdus Columbus l. 7. ſuæ anathom.*

nibus,

nibus, & ab ipſis elaboratus iterum per arteriam venalem in ſiniſtrum cordis ventriculum reflueret, vt ex ipſo vitales ſpiritus generentur. Duplici igitur de cauſa in B. Philippo effecta erat amplior vena arterialis, primò, vt feruente in corde ſanguine, facilius per ampliorem canalem pateret effluxus, ne calor ſuffocaretur. Secundò, vt conſumptorum ex feruore ſpirituũ amplior conſueto fieret reſtauratio. Huiuſmodi autem venæ ampliationem, etſi caloris occaſione effectam eſſe fateor; affirmo tamen, & facilè adducor, vt credam, non ex illius vi ſimpliciter eueniſſe, ſed protinus ob cauſam à Deo allatam, ne ex vi caloris, & palpitationis B. vir lęderetur. Dilatatam quoq. eo tempore fuiſſe, quo & coſtæ illicò fractæ repertæ ſunt citrà dolorem, vt pluribus modis incolumitati tanti viri proſpiceret, prout illi magis opportunum erat, quia validos æſtus, & palpitationes validas, longo temporis ſpatio ſufferre debebat.

Cordis verò magnitudo aucta fuit, tùm vt magis refrigerari poſſet, tùm vt ſpirituum confluxum, & copiam commodius continere valeret. Sic quoq. illius durities, ſicut & venę arterialis aucta eſt, ne ex palpitationis vehementia noxam ſuſciperet: * ex maiori enim duritie, maior viſceri firmitas, maiuſq. robur comparatur: nunquam enim nociua eſt virtus immodica. Efficit quoq. hæc durities, vt ſpiritus intus magis tuti contineri valeant, qui facilè ob cordis, & venæ arterialis mollitiem (ſi qua eſſet) effluerent. Ob hanc eandem potiſſimam rationem, * arteriæ corpus venæ arteriali tributum à natura affirmant Anathomici.

Gal. 6. de plac. cap. 8.

Andreas Laurent. l. 3. cap. 11. suæ Anath.

Feruoris tandem prædicti occaſione, & tamquam

ex vi

ex vi cauſæ efficientis, & facultate, abſumptus eſt humor, qui in pericardio continetur. *Hæc tunica quidem leuis eſt, quæ cor circumambit, tantum autem à corde diſtat, vt citra illius attactum moueri cor valeat, & eſt in ipſa humor modicus veluti vrina, vt ſanum in cuſtodia cor floreſcat. Habet autem humiditatem tantam, quanta ſatis eſt æſtuanti in medelam. Hanc etſi in viuentibus non ineſſe quidam crediderint, in mortuis tamen reperiri fatentur, illiuſq. maiorem copiam tunc adeſſe. Cęterùm in B. Philippo non maior copia reperta eſt; ſed nulla, quoniam validus cordis æſtus, ac feruor, ipſam abſumpſerat; Naturale enim eſt calori, vt humiditatem abſumat; abſumebat autem quoniam naturali modo operabatur, & ſi principium motus eſſet Diuinum; Nam cauſa naturali ad mouendum excitata, ex conſequenti effectus ſequuntur, quos ſecundum naturam producere apta eſt, cum cętera concurrant, & quæ valebant obſiſtere, fuerint remota.

Hipp. lib. de corde.

Hæc B. Philippo acciderunt, ſequebantur, vt vidimus, effectus, quos naturaliter calor producere ſolet; ipſo excitato ex diuino principio, quod erat amor cœleſtis, ex quo hæc omnia emanarunt, quod infinita propè huius B. viri ſanctitatis in vnum conſpirantia monumenta, veluti validiſſima argumenta confirmant, quæ non ſolùm ipſo viuente vidimus, & certos omnes reddere potuerunt, ſed eodem multo antea prædefuncto, circa eius corpus, ac præcipuè circa pectus, à nobis cum quamplurimis diligentiſſimè perſpecta, & animaduerſa fuerunt, & quotidie perſpiciendi data eſt, Deo Optimo Maximo annuente, iuxta altare in quo poſitum corpus eius eſt, facultas.

Quæ fuerint miraculosè animaduerſa circa pectus B. Philippi ab anno quarto ipſius obitus.
Cap. VIII.

CVM ſepulcrum B. Philippi anno quarto ab eius obitu, corporis trãſferendi gratia aperiretur; Alexandro S. R. E. Cardinali Mediceo præſente (iuſſu Summi Pontificis Clementis Octaui) qui poſtea, & ipſe fuit Pontifex, Leo X I. appellatus, multisq. lectiſſimis viris inſpicientibus, cuncta, quæ ipſum corpus tegebant, ob loci humiditatem, ac temporis diuturnitatem, putrida reperta ſunt; Corpus autem, quod naturaliter magis corrumpi debuerat (Nulla enim ferè arte, vel conditura, prout antiquitus conſueuerat, noſtriſq; temporibus interdum fieri ſolet, repoſitum ibi fuerat) integrum, ſine aliquo fœtore repertum fuit, & in ea parte potiſſimum, ſub qua fuerat cordis ſedes, pectus inquam omninò intactum, colore candidum, contactu molle, vt recentis cadaueris eſſe ſolet, prout omnes vidimus, & palpauimus, quæ ſicuti naturæ facultatem excedere manifeſtum eſt, ita ex ſummi Dei arcano, ſingulari munere profecta eſſe fateri debemus.

Ac veluti linguam Sancti Antonij Patauini recentem, & rubicundam poſt multum tempus reperiri Deus voluit, quoniam ſemper Deum benedixerat, alioſq. benedicere docuerat, quam Sanctus Bonauentura Balneoregienſis Cardinalis, & Eccleſiæ

Doctor, cum humiliter in ſuis manibus recepiſſet, Religioſè (vt decebat) aſſeruari iuſſit, vt mirabilis aſpicientibus appareret; Ita quoq; B. Philippi pectus tamdiu intactum, recens, ac molle, credere debemus Deum voluiſſe conſeruari (prout conſeruatur) quia in eo cor, * tamquam animæ domicilium, ad mentem,nutumq. Domini, tot annis magno feruore palpitans, vel potius ex vi cæleſtis amoris exultans, reſederat.

Areteus lib. 1 auct. cap. 3.

De quo ſicuti, & de palpitatione, ac coſtarum fractura, reliquiſq; quæ ab eodem Diuino amore ſcatebant, quantum ipſa rei magnitudo permittebat, vel ſaltem quatenus vires noſtræ tulerunt, probat, vel ſaltem quatenus vires noſtræ tulerunt, pro- ut eramus polliciti pijs lectoribus, iam dicta ſufficiant. Declarare non ommittentes, quod apertè omnes fateri debemus, de rebus humanis philoſophicè loqui, & ſecundum opinionem, eſſe cunctis permiſſum. Ea autem, quorum auctor peculiari quopiam modo Deus eſt, nos intueri tantùm, & admirari magis, quàm percipere, vel explicare poſſe, niſi ille met, qui B. Philippi cor amore ſuæ bonitatis incenderat, ſuæ etiam ineffabilis ſapientiæ lumine, humani intellectus tenebras depellat.

FINIS, DEO GRATIAS.

V.A.V 195H

INDEX CAPITVM

Prima Diſputatio de Palpitatione Cordis.

HIſtoria continens originem affectionum, de quibus eſt agendum. Cap. I.

Quæ fuerint affectiones adnotatæ ex hiſtoria, & quid ſit agendum. Cap. II.

Quod primùm debet haberi ſermo de illa palpitatione, quæ à corde proficiſcitur. Cap. III.

Quid ſit palpitatio Cordis, & à quibus fiat. Cap. IV.

De cauſis naturalibus palpitationis cordis. Cap. V.

Quod nulla ex cauſis naturalibus reperta fuerit in B. Philippi palpitatione. Cap. VI.

Quod ſymptomata palpitationis B. Philippi fuerunt diuerſa à naturalibus ſymptomatibus. Cap. VII.

Quod palpitatio B. Philippi neque fuerit naturalis reſpectu curationis. Cap. VIII.

Secun-

Secunda Diſputatio de fractura coſtarum, & alijs affectionibus.

QVid ſit prius agendum, quid inquirendum, & ratio agendorum. Cap. I.
Quod coſtarum fractura B. Philippi, non fuit naturalis. Cap. II.
An ex interna cauſa naturali euenerit fractura coſtarum dubitatur, et affertur opinio Fernelij. Cap. III.
Eſto quod vera ſit opinio Fernelij, quod palpitatio naturalis poſſit frangere coſtas, nihil tamen facit ad B. Philippi palpitationem. Cap. IV.
Explicatur ſupernaturalis cauſa omnium affectionum B. Philippi. Cap. V.
Cur B. Philippus hoc ſupernaturali affectu ſollicitatus fuerit, et non alius. Cap. VI.
Symptomata quæ cæteris hominibus in morbis naturaliter euenire ſolent, in B. viro fuerunt ſupra naturam. Cap. VII.
Quæ fuerint miraculosè animaduerſa circa pectus Beati Philippi ab anno quarto ipſius obitus. Cap. VIII.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

R O M AE,

Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ.

M. D C X I I I.